FR. ANDREÆ SGAMBATI

ORDINIS MINORUM

S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS,

TOMUS QUINTUS

COMPLECTENS

Libros de Angelis, et de Aspectabilium Rerum Productione.

NEAPOLI

ANNO MDCCLXXVIII.

Ex Typographia Fratrum Paci.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISS. PATRI MAGISTRO

PHILIPPO SCOCCIACAMPANA

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

CELEBERRIMI S. BONAVENTURÆ COLLEGII REGENTI AC RECTORI &c. &c.

F. ANDREAS SGAMBATI

Labores hoſce ſuos

D. D. D.

TAlem ego indolem, VIR HUMANISSIME, ſum ſortitus, ut nulla re magis, quam animi candore, ac Chriſtiana ſimplicitate capiar, & oblecter. Cum itaque Tu egregia hujuſcemodi virtute, qua omnium amorem, obſequiumque Tibi impenſe concilias, ad miraculum exorneris; idcirco quintum iſtud Theologicarum In-

ſtitutionum volumen Nomini Tuo nuncupatum volui, & in perpetuum obſervantiæ meæ teſtimonium conſecravi. Sed non ea tantum Tu virtute præfulges, cum omnes eximiæ dotes ſtructo veluti agmine feliciter in Te uno concurrerint. Sinceram enim pietatem tuam, religionem, modeſtiam omnes mirabundi ſuſpiciunt; prudentiam quoque, æquitatem, multamque eruditionem ac doctrinam unuſquiſque commendat. Quapropter jure meritoque factum eſt, ut bonæ memoriæ CLEMENS XIV. & Cardinalis Alexander Albanus ad regendam S. BONAVENTURÆ Cathedram, & celeberrimum in Urbe Collegium communi

Te

Te voto delegerint; ut nempe ſelectiſſimos noſtri Ordinis Alumnos juxta Sanctiſſimas SIXTI V. Conſtitutiones pietate, boniſque artibus informares. Probe namque ſciebant æquiſſimi illi virtutum tuarum Æſtimatores, Virum doctrina percelebrem, eruditione conſpicuum, moribus etiam & comitate decorum, non privato ſibi tantum commodo natum eſſe, ſed publico univerſi Ordinis & Eccleſiæ bono ac gloriæ deſtinandum. Accedit denique & alia, quæ me impulit cauſa ad hoc Tibi officium exhibendum; incredibile ſcilicet ſtudium, quo provido Supremi PRÆSULIS noſtri conſilio in juvandis

promovendiſque literis viriliter obſecundas, & Theologicis meis hiſce laboribus patrocinium ſubſidiumque ineffabili benevolentia præbuiſti. Sit igitur, Vir Præclariſſime, muneris tui ratio, ut opus iſtud ſtudioſius fovere nunc pergas, auctoremque ſuum firmiori in poſterum ac ſanctiori amicitiæ fœdere complectaris.

FR. JOANNES CAROLUS VIPERA

R O M A N U S

Artium & Sacræ Theologiæ Doctor, Totius Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium

Poſt eundem Seraphicum Patriarcham Miniſter Generalis LXXXX.

CUm Opus cui titulus: *De Theologicis Inſtitutis Tomus V. &c.* a P. Magiſtro Andrea Sgambati Definitore Perpetuo Provinciæ Neapolis compoſitum, duo Ordinis noſtri Theologi juſſu noſtro recognoverint, & in lucem edi poſſe teſtati fuerint; facultatem impertimur, ut typis tradatur, ſi iis, ad quos attinet, videbitur. In quorum &c.

Datum Neapoli apud S. Laurentium die 3. Maji anno 1778.

F. JOANNES CAROLUS VIPERA
Miniſter Generalis Ordinis.

F. MICHAEL ANGELUS URBANI
Secretarius, & Aſſiſtens Gener. Ordinis, ac Provincialis Angliæ.

Digitized by Google

INDEX

LIBER IX.

In quo de Angelis diſputatur. pag. 1

CAPUT I.

Quod exiſtant Angeli, licet ex naturali ratione certo id nequeat demonſtrari. ibid.

CAPUT II.

In quo de Angelorum ſpiritualitate diſſeritur. 8

CAPUT III.

Ubi de Angelorum immortalitate breviter diſputatur. 21

CAPUT IV.

Agit de differentia, quæ inter Angelos invenitur. 27

CA-

CAPUT V.

De modo quo Angeli cognoſcunt: Ubi etiam aliqua, quæ ad eorum locutionem pertinent, paucis explicantur. 41

CAPUT VI.

An Angeli cordium ſecreta cognoſcant? 52

CAPUT VII.

An Angeli cujuslibet generis futura prævideant? 69

CAPUT VIII.

In quo breviſſime de Angelorum voluntate, & amore tractatur. 76

CAPUT IX.

Ubi de Angelorum loco, motuque diſſeritur. 82

CAPUT X.

Angelorum Hierarchiæ & Ordines recenſentur; & de eorundem multitudine diſputatur. 95

CAPUT XI.

An cujuslibet Ordinis Angeli a Deo mittantur? Ubi etiam de Angelis agitur hominum cuſtodibus. 105

CAPUT XII.

Agit de loco, & tempore, in quo Angeli ſunt creati. 117

CAPUT XIII.

In quo de Angelorum gratia, beatitudine, merito, ac prædeſtinatione diſſeritur. 127

CAPUT XIV.

De deſertoribus Angelis, eorumque peccato, & pœna. Hic quoque de præcipua Luciferi dignitate aliquid adnotatur. 142

CAPUT XV.

Num poſſint dæmones veri nominis patrare miracula? 160

LI-

LIBER X.

In quo de aſpectabilis Mundi productione tractatur. 169

CAPUT I.

Quod dum de Mundi primordiis agitur Moſis hiſtoria merito Profanorum hiſtoriis præferatur. 170

CAPUT II.

An Mundus ſit ab æterno productus, vel ſaltem produci ab æterno potuerit? 176

CAPUT III.

Quod Mundus ſex naturalium dierum ſpatio ſit creatus. 184

CAPUT IV.

Quod Mundus a Deo ſit verna tempeſtate productus. 198

CAPUT V.

Ubi ſex dierum opera breviter recenſentur. 205

CA-

CAPUT VI.

In quo ſpeciatim de voluptatis Paradiſo diſſeritur. 212

CAPUT VII.

Modum explicat, quo primorum hominum corpora fuerunt a Deo formata. 221

CAPUT VIII.

In quo rationalis Animæ origo diſcutitur. 227

CAPUT IX.

Ubi de ſpiritualitate, & immortalitate rationalis Animæ breviter diſputatur. 242

CAPUT X.

Rationem exponit, qua homo ad Dei imaginem & ſimilitudinem conditus affirmatur. 252

CAPUT XI.

Quod Adam omnium hominum primus extiterit. 263

CAPUT XII.

Num Deus alia, & meliora creare poſſit his, quæ reipſa creavit? 272

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER IX.

In quo de Angelis diſputatur.

POſteaquam juxta noſtri tenuitatem ingenii primum Sententiarum librum explanare, & Dei naturam, ac perfectiones tum abſolutas, tum relativas declarare ſtuduimus; ad ejus nunc opera contemplanda progredimur. Et primo quidem de Angelis agemus, quorum natura cum ſpiritualis ſit, omnemque corpoream compoſitionem excludat, inter res alias a Deo creatas, præcipuam ſibi vindicat dignitatem.

CAPUT I.

Quod exiſtant Angeli, licet ex naturali ratione certo id nequeat demonſtrari.

ANgeli nomen a græco verbo ἀγγελλω, *nuncio*, derivatum eſt; ut enim adnotat Auguſtinus in lib. 5. de Gen. ad lit. c. 19. *Nuncii græce Angeli dicuntur*. Quo proinde voca-

bulo ſpiritualium ſubſtantiarum non natura, ſed officium denotatur; quia nempe divinam nobis annunciant voluntatem.

Licet autem nullum ſit nomen, quo Angeli natura clare omnino diſtincteque monſtretur; ex Scripturæ tamen, & Eccleſiæ uſu per vocabulum illud ſpiritualis ſubſtantia deſignatur, quæ per ſe complete ſubſiſtit, & Deo quidem inferior eſt, homine vero præſtantior. Nempe quemadmodum nomina Regis, Militis, Oratoris, officium quidem expreſſe ſignificant; ſimul tamen oſtendunt etiam Perſonas, quæ ejuſcemodi funguntur officiis. Lege S. Auguſtinum Concione 1. in Pſalmum 103. De horum ergo Spirituum exiſtentia nunc inquirimus, quam Philoſophi quidam, & Sadducæi negarunt.

Propoſitio 1. Scripturæ evidenter oſtendunt, quod Angeli exiſtant.

Probatur. Geneſeos c. *16.* Angelus Domini Agar apparuit, ſuaſitque, ut ad dominam ſuam reverteretur, eidemque pareret. Ibidem etiam c. 19. legitur, quod duo Angeli Sodomam venerint, & Lot ab incendio liberaverint.

Exodi quoque c. 14. v. 19. dicitur, quod *tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos*. Et c. 23. v. 20. ait Dominus: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via*. Ita & in aliis V. T. libris Angelorum mentio paſſim occurrit.

Idem ex novo Teſtamento perſpicue patet. Matth. enim c. 18. v. 10. Chriſtus de puſillis affirmat, quod *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris*. Et Act. c. 12. v. 7. hæc habentur: *Angelus Domini aſtitit; & lumen refulſit in habitaculo; percuſſoque latere Petri*, ex-

excitavit eum, dicens: Surge velociter.

Hoc denique ipſum ex innumeris aliis Scripturarum oraculis apertiſſime comprobatur; ita nimirum ut Auguſtinus Concione 1. in Pſal. 103. veriſſime ſcripſerit: *Eſſe Angelos novimus ex fide, & multis apparuiſſe ſcriptum legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis eſt.* Gregorius quoque Hom. 34. in Evang. ait: *Angelos, & Archangelos pene omnes ſacri eloquii paginæ teſtantur.*

At dices cum Sadducæis. Adducti Scripturæ textus, aliique conſimiles exponi recte poſſunt vel de divina potentia, vel de occultis inſpirationibus, vel etiam de ſpectris; quin ſubſiſtentem, & ſpiritualem creatam ſubſtantiam admittamus.

Reſp., quod cum in Scripturis Angeli plures eſſe, Deoque miniſtrare dicantur; non poſſunt laudati textus divinam deſignare potentiam. Cum inſuper in Scriptura legatur, quod Angeli homines cuſtodiant, adjuvent, comitentur; & quod boni Deum videant, mali vero pœnas expendant &c., profecto jam patet, quod ſi ejuſcemodi munera ſpectris, interniſque cogitatibus convenire non poſſint, admittendæ neceſſario ſint ſubſiſtentes & incorporeæ creaturæ. At vanam Sadducæorum hæreſim nedum Scriptura redarguit, ſed omnium fere hominum, Hæreticorum etiam & Ethnicorum, communis & antiqua conſenſio; uti Petavius, Berti, aliique Theologi liquido demonſtrarunt.

Dices 2. Moyſes dum in libro Geneſeos rerum creationem enumerat, altum ſervat de Angelica natura ſilentium: atqui ſi Angeli ſpirituales ſubſtantiæ forent, tam nobilium Dei operum aliquam proculdubio mentionem ille feciſſet.

 Reſp.,

Reſp., quod vel Angelorum creatio ſub corporeæ rei, Cœli ſcilicet luciſque, vocabulo tradita rudi populo a Moyſe fuerit; uti docuit Auguſtinus in lib. 11. de Civ. D. cc. 9. & 33. Vel dicendum eſt potius, quod idcirco fuerit prætermiſſa, quia propoſuit ille ſibi adſpectabilis tantummodo mundi originem aperire, & ea deſcribere, quæ propter hominem creata ſunt, ejuſdemque uſibus inſerviunt: ita Chryſoſtomus hom. 2. in Geneſim arbitratur. Utramque reſponſionis hujuſce partem Seraphicus Doctor ita conciliat in 2. d. 13. a. 1. q. 1. *Quia Scriptura tradebatur genti rudi, quæ verſabatur circa ſenſibilia; ideo primo in operibus ſex dierum conditionem ſenſibilium inſinuat; nihilominus tamen præſtans viam per hæc ſenſibilia ad intelligenda ſpiritualia; hoc enim fecit ad illa inſinuanda. Unde non indocte per formationem lucis intelligi poteſt formatio naturæ ſpiritualis, principalius tamen inſinuatur formatio corporalis.*

Ceterum uti ex ſupra dictis apparet, in hiſtoriæ progreſſu Moyſes Angelos deſcribit, tanquam veras propriaſque perſonas, & dependentes a Deo nuncios ac miniſtros: per quod Judæis adempta fuit omnis idololatriæ occaſio, in quam nimium eos propendiſſe notiſſimum eſt.

Propoſitio 2. Angelorum exiſtentia per naturæ rationem certo demonſtrari non poteſt.

Probatur. Nulla poteſt afferri certa ratio, quæ vel ex cauſa, vel ex effectu Angelos extare convincat. Non quidem ex cauſa; quia Deus omnino libere operatur, dum creaturas, quæcumque tandem ſint illæ, producit. Neque ex effectu; quia quæ Angeli faciunt, vel a Deo, vel ab anima ſeparata fieri facile poſſent,

ſi

ſi Angeli non exiſterent, uti mox infra dicemus. Ergo Angelorum exiſtentia per naturæ rationem probari certo non poteſt.

Hic quoque illud advertimus, quod perperam quis aſſereret, ex idea quæ appellatur ingenita, Angelorum exiſtentiam poſſe certo evidenterque cognoſci. Primo quidem quia ſententia, quæ innatas ideas adſtruit, labili fundamento innixa videtur; uti breviter oſtendimus in lib. 1. c. 4. Deinde quia etſi dare vellemus, ſpiritualium rerum eſſentias per ingenitam ideam nobis eſſe perſpectas; nunquam tamen admitti rationabiliter poteſt, quod per eandem cognoſcatur etiam ſtatus ille contingens, quo Angeli per liberrimam Dei voluntatem ad exiſtentiam ordinantur.

Objicies 1. Naturæ ratio certo & evidenter oſtendit, quod Deus mundum condiderit perfectiſſimum: atqui mundi perfectio poſtulat, ut in eo omnia ſint genera rerum: ergo ſicuti Deus naturam creavit, quæ ex corpore pariter ſpirituque componitur, ſicut eſt homo; ac multiplicem edidit creaturam, quæ tantum corpopore conſtat, cujuſmodi eſt lapis, arbor &c. ita efficere etiam debuit Angelicam naturam corporis omnino expertem, quæ Deo ſimillima eſt, & Univerſitatis hujuſce perfectionem abſolvit.

Reſp., quod licet argumentum iſtud ſua probabilitate non careat, adhibitumque etiam fuerit a S. Thoma in p. 1. q. 50. a. 1., & a S. Bonaventura in 2. d. 8. p. 1. a. 1. q. 1. ad ſuadendam exiſtentiam Angelorum, non tamen id certo demonſtrat. Quamvis enim naturali ratione ſit certum, quod Deus ordinis perfectionem mundo tribuerit, quatenus omnia in ipſum, velut

in finem ultimum, diriguntur, & omnia inter ſeſe motus & operationis leges illas obſervent, quas ſapientiſſimus Auctor ſtabili ordinatione conſtituit; non tamen eodem modo perſpicuum eſt, quod omnis abſoluta perfectio ita rerum huic Univerſitati nunc competat, ut præter naturas mere corporeas, eaſque quæ ex ſpiritu & corpore componuntur, exiſtant & Angeli, ſpirituales nempe & incorporeæ creaturæ, quæ complete ſubſiſtunt. Quælibet enim creata natura, perfectiſſima licet illa ſit, non neceſſario exiſtit, ſed ab Omnipotentis voluntate libere ac contingenter efficitur: cum ergo Angelica natura ſub ſenſu omnino non cadat, ſitque contingens; dicendum profecto eſt, quod ex ſola revelatione, quæ nobis poteſt Divinam oſtendere voluntatem, Angelorum exiſtentia cognoſcatur.

Objicies 2.° Sæpe contingit, quod Energumeni, & Magi peregrina lingua loquantur, excitent tempeſtates, annuncient quæ in remotiſſima regione geruntur, & alias plurima præſtent, quæ & naturalem hominis virtutem excedunt, & a Deo, tanquam a ſpeciali Auctore, provenire non poſſunt. Conſtat enim, obſeſſos quandoque homines, licet pietate ſpectabiles, enormes contra Deum protuliſſe blaſphemias, & Magos mirabilia multa ad iniquos uſus, ad Dei nempe contemptum, proximique perniciem perpetraſſe: ea itaque non Deo, non hominibus, ſed malis Angelis ſunt adſcribenda.

Reſp., nullum eſſe Energumenorum, Magorumque opus, quod revelatione ſecluſa, Angelis ſit neceſſario tribuendum. Quæ enim mali nihil involvunt, Deo poſſent attribui; quæ vero divinam dedecent ſanctitatem, ab anima corporeis vinculis exſoluta effici nullatenus repugna-

gna-

gnaret, ut advertenti facillime poterit apparere. Non ergo effectus in argumento relati, ſi loqui abſolute velimus, evincunt, quod exiſtat completa ſpiritualis creaturæ ſubſtantia: proindeque intellectus noſter neque immediate in ſeipſo Angelum cognoſcit, neque mediis ſenſibus, attendendo ſcilicet ad exteriores effectus, qui cum Angelo, veluti cum neceſſaria cauſa, copulentur. Admitti igitur dumtaxat poterit, quod objectum argumentum, licet non demonſtrativam rationem, probabilem tamen vim ſuaſionis includat.

Objicies denique. Socrates, Plato, Ariſtoteles, Thales Mileſius, aliique gentium Philoſophi Angelos exiſtere cognoverunt, quos deos, dæmones, intelligentias, geniosque vocarunt. Non ergo repugnat, quod per naturale lumen Angelorum exiſtentiam agnoſcamus.

Reſp., quod gentiles Philoſophi, vel quia Judæos audiverant, vel quia Sacros Codices lectione luſtraverant, in Angelorum notitiam devenire potuerint. Accedit, quod licet ad cognoſcendam Angelorum exiſtentiam certa deſit naturæ ratio, probabiles tamen conjecturæ non deſunt, quæ ex conſtanti aſtrorum motu, ex idolorum oraculis, ex Energumenorum Magorumque portentis, & ex Univerſi perfectione deſcendunt. Hiſce ergo ducti momentis potuere Philoſophi Angelorum exiſtentiam utcumque argumentando cognoſcere.

CAPUT II.

In quo de Angelorum ſpiritualitate diſſeritur.

DE ſpiritualitate hic agimus Angelorum, quærimuſque, an illi ita materiæ ſint expertes, ut neque corporibus ex ſui natura jungantur; ſicuti humanis competit animabus, quæ formæ ſunt corporum. Corporis autem nomine ſubſtantiam diviſibilem, extenſam, partibuſque compoſitam deſignamus. Hac de re non una Veterum fuit opinio: putarunt namque nonnulli, quos infra citabimus, quod Angeli aerea quædam & ſubtiliſſima corpora ſibi naturaliter copularent.

Propoſitio. Angeli ita ſunt ſpirituales, ut corpus nullum exigant, cui ſuapte natura jungantur.

Probatur 1. Angeli tum boni, tum mali in Scripturis abſolute ac ſimpliciter *ſpiritus* appellantur. *Qui facis Angelos tuos, ſpiritus:* Pſalmo 103. v. 4. *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus:* Hebr. 1. v. 14. De malis etiam legitur Matth. 10. v. 1. *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum*. Et Lucæ 11. v. 26. *Aſſumit alios ſeptem ſpiritus ſecum nequiores ſe*. Atqui Angelus, qui ſubſiſtens perſona eſt, non abſolute & ſimpliciter ſpiritus diceretur, ſi ulla eſſet ratione corporeus. Nam quia homo ex ſui natura corpus expoſtulat, quamvis ſpiritualem habeat animam, non ſpiritus, ſed caro, & pulvis,

vis, & terra vocatur. Sicut ergo dum legimus Joan 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus*; Dei ſubſtantiam corporis omnino expertem aſſerimus; ita ob ſimilem loquendi modum de Angelica natura ſimiliter dicendum eſt: præſertim cum nullibi Scriptura demonſtret, quod Angelus ex ſui natura corpori copuletur.

Probatur 2. ex Patribus Latinis. Auguſtinus in Pſal. 103. parte 1. ait: *Quæris nomen ejus naturæ, Spiritus eſt: quæris officium, Angelus eſt*. Et in lib. 1. Retract. c. 11. ſimilia profert: *Angelorum autem ſanctorum nomine, omnem creaturam ſpiritalem, in Dei ſecreto atque occulto miniſterio conſtitutam nunc appellaverim: ſed ſpiritus angelicos Sancta Scriptura nomine animarum ſignificare non ſolet*. Angeli igitur ex Auguſtino puri ſunt Spiritus, ſi non habent animam, ſpiritualem nempe ſubſtantiam, quæ corpus informat. S. item Leo in epiſt. ad Turibium c. 6. ſcribit: *Fides vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporalium, bonam confitetur eſſe ſubſtantiam*.

Gregorius Magnus in lib. 4. Mor. c. 3. olim 9. ait: *Angelus namque ſolummodo ſpiritus; homo vero & ſpiritus eſt, & caro*. Idem quoque docuiſſe videtur Hieronymus in epiſt. 86. alias 27. ad Euſtochium, & Iſidorus lib. 1. de differentiis c. 12.

Concordant & Græci. Martyr enim Ignatius in epiſt. ad Trallenſes, Angelos appellat *incorporeas naturas*. Auctor quoque libri de Cœleſti Hierarch. c. 1. eoſdem vocat *ſpiritus ſimplices*; & in c. 2. *puros ſpiritus*. Nyſſenus Orat. 4. in Orationem Dominicam ait: *Omnis natura rationalis dividitur in corpoream, & incor-*

corpoream naturam. Incorporea porro eſt Angelica creatura, altera nos ſumus. Hoc idem denique docent Baſilius in lib. de Spir. Sancto c. 1. Nazianzenus Orat. 34. Epiphanius hær. 26. Chryſoſtomus hom. 22. in Geneſim, aliique communiter.

Neque prætereunda ſunt hic verba Concilii Lateranenſis IV. quod c. 1. ſic ait: *Unum eſt univerſorum principium, Creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, qui ſua omnipotente virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam ac deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Atqui mundana creatura ſic corporalis a Concilio dicitur, ut ſpiritu omnino non conſtet: ergo ſimiliter Angelica creatura eo in ſenſu ſpiritualis aſſeritur, ut corpus omnino non habeat.

Probatur 3. ex ratione. Uti recte notat S. Bonaventura in 2. d. 8. p. 1. a. 1. q. 1. „ Corpus modicæ quantitatis a maxima multitudine dæmonum aliquando obſidetur, ſicut legitur Marci 5. de illo qui dicit: *Legio mihi nomen eſt.* Legio enim, ut Richardus dicit, continet ſex mille ſexcentos ſexaginta ſex: unde ſi dæmones corpora haberent, cum ſuis corporibus nullo modo poſſent ſubintrare corpus ita modicum. Propter quod ſatis probabiliter dici poteſt, quod non ſolum non habent corpora ſibi naturaliter unita; verum etiam nec boni, nec mali habent inſeparabiliter alligata, quantum eſt de lege communi.

Accedit, quod tota Angelorum ſubſtantia nequeat eſſe corporea; alioquin illi homine, & ra-

rationali anima eſſent inferiores; dum neque intelligerent, neque vellent, neque meriti neque gratiæ neque gloriæ poſſent eſſe participes: quæ profecto abſurdiſſima ſunt. Dici quoque non poteſt, quod illi corpore conſtent ac ſpiritu; alioquin ex ſui natura morti eſſe poſſent obnoxii; cum omnis ſpiritualis ſubſtantia, quæ corpus informat, poſſit ab illo ſejungi.

Præterea ſi Angeli corpora haberent, quibus naturaliter unirentur, vel illa organica forent membriſque diſtincta, vel indigeſta eſſent, membriſque carerent. Non primum, quia membrorum diſtinctio ſenſitivæ cognitioni deſervit; Angeli vero non ſentiunt; alioquin ex mente ſimul, ſenſuque conſtaren: quod ad ſolam hominis ſpectare naturam indubium eſt. Neque ſecundum dici poteſt, quia ejuſcemodi corpora, quantumcunque ſubtilia dicantur & levia, Angelorum operationes impedirent potius, quam juvarent.

Objicies 1. Geneſeos c. 6. v. 2. juxta Græcorum quorundam Codicum lectionem habetur: *Videntes Angeli Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Et verſu 4. ſubjungitur, quod ex ejuſcemodi coitu gigantes geniti ſint, *potentes a ſæculo viri famoſi*. Ergo corporei ſunt Angeli, ſi carnali capiuntur amore, filioſque progenerant.

Ita inter Veteres textum illum expoſuere Juſtinus in Apologia 1., Athenagoras in Legatione, Clemens Alex. in lib. 8. Strom., Tertullianus de cultu femin., Lactantius in lib. 2. divin. inſtit., Cyprianus de diſciplina & habitu Virginum, & Ambroſius in Apologia de fuga David c. 1.

Reſp.,

Reſp., quod in Hebraico textu, & in Vulgata Verſione non *Angeli Dei*, ſed *Filii Dei* legatur. Quidam etiam Codices LXX. Interpretum *Filii Dei* habebant, Auguſtini ætate, ut ille teſtatur in lib. 15. de Civ. D. c. 23. Eos inſuper Codices emendatiores eſſe putavit Cyrillus in lib. 9. contra Julianum.

At demus, quod legi etiam poſſit, *Angeli Dei*; eo tamen nomine non niſi homines deſignantur. Uti enim laudato in loco adnotat Auguſtinus, *Angelos fuiſſe etiam Dei homines nuncupatos, eadem Scriptura ſancta locupletiſſima teſtis eſt. Nam & de Joanne ſcriptum eſt* Matth. 11. v. 10. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. *Et Malachias Propheta, propria quadam, ideſt ſibi proprie impertita gratia, dictus eſt Angelus.* Malachias enim *Angelus Domini* interpretatur.

Notat ulterius S. Doctor ibidem, quod ex contextu manifeſte monſtretur, Angelos, ſive Dei filios fuiſſe homines, ad quorum ulciſcenda peccata diluvium inundavit. Et ſane v. 3. legitur: *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Item v. 5. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra &c.*

Dicendum eſt igitur cum Chryſoſtomo, Auguſtino, Cyrillo Alex., Theodoreto, aliiſque, quod poſteri Seth nomine filiorum Dei in citato teſtimonio denotentur, quia paternam pietatem æmulantes, veri Dei extitere cultores. Poſtmodum vero impotenti libidinis ardore ſuccenſi, parentum monita contempſerunt, & interdicta inire connubia cum filiabus Cain, quæ quia nefariam avi vitam imitabantur & mores, hominum filiæ ſunt vocatæ.

Quod

Quod autem ex commixtione illa editi ſint gigantes, aſſertioni noſtræ nullatenus officit: ejuſcemodi namque homines flagitioſa vita, robore, ac ſtatura famoſi, naſci ex hominibus uſitatæ etiam magnitudinis potuerunt. Nam uti appoſite refert Auguſtinus in loco ſupra laudato, *ante paucos annos cum Romanæ Urbis, quod a Gothis factum eſt, appropinquaret excidium, Romæ fuit femina cum ſuo patre & ſua matre, quæ corpore quodammodo giganteo longe cæteris præemineret: ad quam viſendam mirabilis fiebat uſquequaque concurſus. Et hoc erat maximæ admirationi, quod ambo parentes ejus nec ſaltem tam longi homines erant, quam longiſſimos videre conſuevimus.* Præferenda itaque eſt illorum Patrum expoſitio, qui ſcripſerunt, ex objecto teſtimonio deduci non poſſe, quod Angeli ſint corporei.

Objicies 2. Conſtat ex Scripturis, quod Angeli ſæpe ſub humana forma viſi ſint, ſintque locuti; quod comederint, biberint, fuerintque luctati &c. Lege Gen. 18. & 32. Tobiæ 6. & 8. & alibi paſſim. Non ergo illi ſpiritu tantum, ſed & corpore conſtant.

Reſp., ex argumento non conſequi, quod Angeli corporibus uniantur, ut naturales ac proprias operationes exerceant; ſed quod *aſſumant corpora*, inquit Seraphicus Doctor in 2. d. 8. p. 1. a. 1. q. 2., *ſicut inſtrumenta, vel organa ad operandum, ſicut ſigna ad manifeſtandum, ſicut cooperimenta, vel habitacula ad converſandum. Unde corpus aſſumptum conjungitur illis, ſicut inſtrumentum motori, ſicut ſignum ſignificato, ſicut habitaculum habitatori*; id eſt, extrinſeca & libera unione, non intrinſecus & naturaliter, ſicuti rationalis anima & corpus in homine conjunguntur.

Ex

Ex quo patet & illud, quod non omnia corpora quæ moventur ab Angelis, ab eiſdem aſſumpta dicantur; ſed illa tantummodo, quæ ita Angelis uniuntur, ut perſonas, proprietates, & actiones ſuas in eis Angeli aliquatenus repræſentent. Quapropter in fine citatæ quæſtionis Seraph. Doctor adjungit: *Dicitur Angelus corpus aſſumere, quia non ſolum propter hoc quod moveat vel operetur aliquid circa corpus, ſed quia illud accipit ad ſe, ut in illo operetur, & in illo manifeſtetur, & in illo converſetur.*

Angeli itaque vitales operationes in aſſumptis corporibus exercere non poſſunt; cum ejuſcemodi actiones efficiantur ab anima, quatenus illa humanum corpus informat: quod præſtare nequit Angelus, qui completa ſubſtantia eſt; alioquin hunc inter, & rationalem animam non eſſet eſſentiale diſcrimen. Dum ergo Angeli corpora ſumunt, ea dumtaxat effecta patrant, quæ localem motum, non quæ ſenſitivam, aut vegetativam vitam includunt: proindeque dum legimus in Scripturis, Angelos in aſſumpto corpore ſenſibiliter fuiſſe locutos; exponendum id eſt de externa dumtaxat ſpecie, & de articulato extrinſecus ſono, quem in aere, quando loquimur, excitamus; non vero intelligendum eſt de proprie dicta locutione, quæ eſt viventis opus, & ab Ariſtotele in 2. de anima textu 90. definitur: *Sonus ab ore animalis prolatus.*

Ita ad id quod dicitur, comediſſe Angelos, & bibiſſe, reponimus cum S. Bonaventura in loco ſuperius laudato, art. tamen 3. q. 1., quod *in cibatione eſt cibi ſumptio, & conſumptio; eſt nihilominus converſio & unio. Et quantum ad primum competit Angelo in corpore aſſumpto cibatio,*

batio, ſive comeſtio non ſimulate, ſed vere; quia cibum ſibi appoſitum vere ſumebant & conſumebant; veruntamen cibus aſſumptus eorum indigentiam, vel deperditionem non reſtaurabat, quia talis cibatio ex potentia, non ex indigentia eſt in Angelis; in his vero qui vegetantur, non tantum eſt potentia, ſed etiam indigentia. De lucta nihil addimus, cum perſpicuum ſit, quod localem motum, non animalem vitam neceſſario prærequirat.

Tandem quod pertinet ad generandi virtutem, advertit ibidem Seraph. Doctor, quod *in actu generationis eſt ſeminis conſtitutio ſecundum nervos, & virtutes, & calores tali ſpeciei competentes; & eſt ſeminis ſic perfecti transfuſio, & ſuſceptio. Primum eſt ſolius illius, cui Deus dedit vim propagativam; & hoc nullo modo competit dæmonibus aſſumentibus corpus. Secundum vero, ſcilicet ſeminis ſuſceptio, & transfuſio poteſt eis competere. Primo enim ſuccumbunt viris in ſpecie mulieris, & ex eis ſemen pollutionis ſuſcipiunt, & quadam ſagacitate ipſum in ſua virtute cuſtodiunt; & poſtmodum Deo permittente fiunt incubi, & in vaſa mulierum transfundunt, ex qua transfuſione homines generari poſſunt:* & ideo ille qui naſcitur, non dæmonis, ſed hominis illius filius eſt, a quo dæmon ſemen accepit. Lege etiam S. Thomam in p. 1. q. 51. a. 3. ad *6.*

At dices. Narrat Scriptura, quod pulſante David citharam, ſpiritus nequam a Saule receſſerit, Regum lib. 1. c. 16. v. 23., & quod jecore piſcis poteſtas dæmonis ſit expulſa, Tobiæ 8. vv. 2. & 3. Alibi quoque legitur, quod diabolus vinculis alligetur, rudentibus in tartarum detrahatur, & crucietur inferni igne, qui vulgo pu-

putatur eſſe corporeus: ergo & ipſe corpori naturaliter copulatur.

Reſp., quod non ex naturali ſenſibilium rerum virtute dæmon expellitur, ſed poteſtate Divina, & merito precum, quibus permotus Deus conatus ejus feritatemque compeſcit. Ita pariter corporeis quandoque rebus dæmones delectantur, non quia ex eis corporalem capiant voluptatem, ſed quia ſpirituale aliquid ſenſibilia illa ſignificant. Hinc Doctor Angelicus ait in p. 1. q. 115. a. 5. ad 3., *quod ſicut Auguſtinus ait lib. 21. de Civ. D., dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non ut animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis; in quantum nempe hæc eis exhibentur in ſignum divini honoris, cujus ipſi ſunt cupidi.*

Rudentes etiam, catenæ, & vincula, quibus alligari dicitur diabolus, metaphorice accipienda ſunt; quatenus nempe ille non viſibili manu, corporeiſque nexibus aſtringatur; ſed inviſibili virtute, divinoque imperio contra propriam inclinationem aliquo detineatur in loco, ne extra illud pro libidine valeat operari.

Denique ex quo corporeus eſt ignis inferni, non recte deducitur, quod corporeus ſit diabolus etiam, qui illo torquetur; ſicuti ſcilicet inde non ſequitur, quod damnatorum hominum animæ ſint corporeæ. *Cur enim*, inquit Auguſtinus lib. 21. de C. D. c. 10., *non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi?* Sed de hoc argumento alibi prolixius diſſeremus.

Objicies 3. VII. Generalis Synodus Act. 5. probavit ſententiam Joannis Theſſalonicenſis

Epi-

Epiſcopi in ſuo Dialogo aſſerentis, quod *intelligibiles creaturæ non penitus incorporeæ ſunt, & inviſibiles, ut Deus. Ideo in loco ſunt, & circumſcribuntur. Sicubi autem incorporeos appellari Angelos invenias, aut dæmones, aut animas; idcirco ſic appellantur, quod ex materialium quatuor elementorum permixtione non conſtent; nec ejuſmodi ſint corpora craſſa, & ſolida, qualia nobis circumfuſa ſunt. &c.* Recitato namque Dialogo Joannis, Taraſius Patriarcha CP.[5] Synodo dixit: *Oſtendit Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & hominum ſpecie multis apparuerunt*: Quibus auditis ſtatim adjecit Synodus: *Etiam domine.*

Reſp., quod ut ex adductis Taraſii verbis apparet, Nicæna II. Synodus Joannis ſententiam tantum in eo probaverit, quod Angeli ſint pingendi, quoniam ſub humana ſpecie multis apparuerunt, & circumſcripti ſunt: circumſcriptive, quia finitum corpus naturaliter ſibi conjungunt; an vero tantum, quia finitum locum occupant, & quandoque finitum corpus aſſumunt? Reſpondemus, quod id tunc erat extra Concilii finem, in quo de ſacrarum imaginum uſu cultuque præcipue tractabatur. Ex quo igitur Concilium Joannis illationem illam admiſerit, *Angeli pingendi ſunt*; non ſequitur, quod probaverit etiam, Angelos in proprio ac naturali corpore a finito loci ſpatio circumſcribi.

Sed ut omnis ambiguitas auferatur, legenda eſt fidei Profeſſio, quam Act. 4. Concilium emiſit: *Veneramur imagines ſanctorum, & incorporeorum Angelorum, qui tanquam homines figura humana Juſtis apparuerunt.*

Objicies 4. Patres communi conſenſu paſſim

affirmant, quod Angeli non prorſus omnis corporis ſint expertes. Præter enim eos, quos ſupra citavimus, aſſerentes, quod Angeli mulieres compreſſerint, giganteſque genuerint; fuerunt & alii, qui ſubtiliſſima & aerea corpora Angelis tribuerunt: hos inter eminent Baſilius in lib. de Spiritu S. c. 16. Auguſtinus in epiſt. 115. ad Nebridium. Nonnulli quoque dixerunt, non ens aliquod creatum, ſed Deum dumtaxat incorporeum eſſe; ita ſcripſere Cyrillus Alex. lib. 9. in Joan. & Hilarius c. 5. in Matth. Unde Fulgentius in lib. de Trin. teſtatur, quod *magni & docti Viri* putaverint, Angelos ex duplici eſſe ſubſtantia, ex ſpiritu ſcilicet, & corpore; ac præterea quod bonis Angelis corpus æthereum ſive igneum, dæmonibus autem aereum corpus adſcripſerint.

Reſp., quod etſi aliqui ex Patribus de Angelorum ſpiritualitate dubitaverint, aut etiam conceptis verbis aſſeruerint, Angelos eſſe corporeos; uti tamen ex 2. probatione perſpicuum eſt, eorum alii noſtram docuere ſententiam, quæ ex decreto etiam Lateranenſis Synodi confirmatur. Ceterum Baſilius loqui videtur non de corpore quod naturale ſit Angelis, ſed de eo, quod illi interdum aſſumunt. Et Auguſtinus objecto quidem in loco juxta Platonis philoſophiam loquens, Angelis elementare corpus attribuit; alibi vero hac de re dubitando ſcripſit, uti præſertim patet ex epiſt. 95. & ex lib. 15. de C. D. c. 23. Ac tandem Angelos nullum penitus habere corpus admiſit, uti ex textibus in probatione citatis evincitur.

Hilarius nomen ſpiritus uſurpaſſe videtur ad immutabilem & immenſam ſubſtantiam denotandam: quo in ſenſu inquit lib. 2. de Trin. n. 31.

n. 31. *Spiritus nec circumſcribitur, nec tenetur, quia per naturæ ſuæ virtutem ubique eſt, neque uſquam abeſt.* Hujuſcemodi profecto non ſunt Angeli, licet illi extenſum corpus parteſque non habeant.

Quidam inſuper Patres id omne corporeum eſſe dixerunt, quod aliquo modo compoſitum eſt; cujuſmodi ſane eſt ens omne creatum. Nam, licet Angelus ex eſſentialibus, ut inquiunt, & integrantibus partibus phyſice non ſit quoad ſubſtantiam compoſitus; componitur tamen ex eo, quod plura in ſeipſo recipiat accidentia, quæ vel ad naturæ, vel ad gratiæ ordinem referuntur, & ex metaphyſicis etiam componitur prædicatis. Et ideo Damaſcenus lib. 2. de Fide c. 3. ſcribit: *Quod autem corpore, ac materia* Angelus *vacare dicitur, hoc noſtri ratione intelligendum eſt. Alioqui enim quidquid cum Deo confertur, qui ſolus nulli comparari poteſt, craſſum, & materiale invenitur.* Ex quibus evincitur, quod ex Patrum auctoritate communis nunc ſententia de Angelorum omnium ſpiritualitate infirmari non poſſit.

Advertimus autem, quod etiam poſt Lateranenſe Concilium non formalis & expreſſa ſit hæreſis, Angelos affirmare corporeos, Concilii namque ea tantum intentio fuit, ut Albigenſium damnaret errorem, qui Manichæorum deliramenta ſectantes, a malo principio viſibilia fuiſſe producta dicebant. Utrum autem ſpirituales, ac inviſibiles creaturæ omni prorſus corpore careant, an vero generali quadam ratione ita dicantur, quia non craſſiori, ſed leviſſimo corpore circumſcribuntur; id extra Concilii ſcopum erat, unde neque directe fuit a Concilio definitum. Quapropter nobiliſſimi

quamplures Theologi licet poſt Lateranenſe floruerint, controverſiam tamen iſtam ad Fidei ſummam non pertinere ſcripſerunt. Ita Doctor Angel. in q. *16.* de malo a. 1. conceptis verbis affirmat, *quod ſive dæmones habeant corpora ſibi naturaliter unita, ſive non habeant, hoc non multum refert ad fidei Chriſtianæ doctrinam.*

Denique Eſtius, Sylvius, Tournely, Juenin, Gotti, Berti, aliique Recentiores exiſtimant, quod qui hoc in capite oppoſitum affirmaret, non idcirco cenſendus eſſet hæreticus, licet temeritatis notam vitare non poſſet, quia Angelos omnino incorporeos eſſe, ex Concilii definitione videtur non obſcure deſcendere, & quia Scholæ Theologi unanimi conſenſione id ipſum affirmant.

CA-

CAPUT III.

Ubi de Angelorum immortalitate breviter diſputatur.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TRiplici in ſenſu res aliqua dicitur immortalis, 1. quia actu eſſe non deſinet, quamvis ex ſuis intrinſecis deſinere poſſet, & mori: ita poſt reſurrectionem immortalia erunt corpora Beatorum. 2. quia neque reipſa peribit, neque ex propriis interniſque principiis tendit ad mortem, licet in nihilum redigi poſſet per abſolutam Dei potentiam, a quo ſuum eſſe recepit: ſic hominis anima dicitur immortalis. 3. denique, quia neque actu deſinet, neque intrinſecus ad deſinendum inclinat, neque ab alio pendet, ut exiſtat; unde exiſtentiam amittere, quacunque data ſuppoſitione, non poteſt: & hoc modo ſolus Deus dicitur immortalitatem habere. Hiſce ergo præmiſſis inquirimus, quodnam immortalitatis genus Angelicæ naturæ conveniat.

Propoſitio. Angeli in æternum exiſtent; idque deſcendit ex internis propriæ naturæ principiis: licet abſolute loquendo poſſit eos Deus in nihilum, ex quo prodiere, redigere. Tres hujuſce theſis partes ita breviter demonſtrantur.

Et primo quidem, quod Angeli reipſa ſint perpetuo exſtituri, fides Catholica evidenter oſtendit. Legitur enim Lucæ c. 20. v. 36., quod electi homines, qui ex mortuis reſurgent, *non ultra mori poterunt; æquales enim Angelis ſunt.*

Matth. etiam c. 25. v. 41. æternus ignis, in quem reprobi homines conjiciendi erunt, *paratus diabolo* dicitur, *& Angelis ejus*: ergo mali Angeli per totam æternitatem exiſtent in pœna; ergo ſimili ratione dicendum eſt, quod boni ſemper exiſtent in gloria.

Id quoque unanimis Patrum doctrina conſtanter aſſeruit, uti patet ex Auctore lib. 2. de divinis nom. c. 4., ex Athanaſio in lib. de communi eſſentia Divinitatis, ex Baſilio in Pſal. 44., ex Cyrillo Alex. in lib. 20. Theſauri, ex Maximo Martyre in epiſt. 2. ad Cor., tandem ex Sophronio Patriarcha Hieroſolym. in Epiſt. Synodica, quæ lecta eſt in Act. 11. Synodi VI., probata vero in Act. 13.

Præterea ex Scriptura, Patribus, & Conciliis, ac præſertim ex Lateranenſi V. ſub Leone X. ſeſſ. VIII., hominis anima eſt immortalis: ergo & Angelus; eſt enim hic illa perfectior, neque ad informandum corpus, a quo ſeparari poſſit, inclinat.

Quod vero Angeli ſint ex ſui natura, & intrinſecus immortales, inde concluditur, quia eorum ſubſtantia ſpiritualis eſt & ſimplex, neque ex materia & forma componitur. Uti enim recte ſcribit S. Thomas in p. 1. q. 50. a. 5. *Compoſitum ex materia & forma deſinit eſſe actu, per hoc quod forma ſeparatur a materia; ſed ſi ipſa forma ſubſiſtat in ſuo eſſe, ſicut in Angelis, non poteſt amittere eſſe: ipſa igitur immaterialitas Angeli eſt ratio, quare Angelus eſt incorruptibilis ſecundum ſuam naturam.*

Ergo Angeli ex ipſis naturæ principiis corruptioni non ſubjacent, ſive nequeunt formam amittere, remanente ſubjecto. Cum vero creaturæ ſint, & a Deo dependeant, ut exiſtant, ut-

utque eorundem exiſtentia perſeveret; idcirco licet ex ſeipſis non inclinent ad mortem, neque poſſint per naturalem quamcunque virtutem ſuum eſſe deperdere; annihilari tamen poſſent a Deo, ſicuti ab ipſo contingenter libereque creantur; annihilare enim, ſicut & creare, ſolius Dei proprium eſt. Præclare ait Cyrillus Alex. lib. 20. Theſauri: *Quoniam* Angelus *exiſtendi principium habet, poſſet utique finem etiam ſortiri. Naturales enim prærogativæ habentibus quidem validæ ſunt, non autem earum opifici Deo. Quemadmodum ignis urendi vim habet, ſed non Deo: & Angelus immortalis eſt quidem, ſed non Deo.*

Objicies. Angeli ex nihilo ſunt producti: ergo ex ſeſe tendunt in nihilum; ergo dici non poſſunt intrinſecus & naturaliter immortales. Hinc in 1. ad Tim. c. 6. v. 16. de Deo ſcribit Apoſtolus: *Qui ſolus habet immortalitatem.* Quæ verba expendens Hieronymus Comment. in hunc locum ait, *quod ille ſolus naturaliter ſit & immortalis & verus: ceteri vero immortalitatem & veritatem ex largitionis illius dono conſequantur.* Hoc idem Ambroſius in lib. 3. de fide c. 2. Hilarius in Pſal. 148. Auguſtinus epiſt. 118. aliique Patres innumeri apertis verbis affirmant; Angelos ſcilicet non ex ſui natura, ſed ex Dei beneplacito, gratia, munere, voluntate immortalitatem habere: quod neque ipſum latuit Platonem, uti ex ejus opere patet, quod inſcribitur *Timæus*.

Reſp., quod Angelus ex ſeſe tendit in nihilum, non quia intra ſe habeat corruptionis, mortiſque principium; ſed quia in nihilum rediret, niſi Deus ejus exiſtentiam perpetuo conſervaret: quælibet enim creaturæ perfectio a

Deo dependet, ſive ad eſſentiam; ſive ad exiſtentiam, ſive ad operationem pertinere dicatur. Ergo ex argumento non ſequitur, quod Angeli ex ſui natura immortales dicendi non ſint; nam uti S. Thomas ait in p. 1. q. 50. a. 5. ad 3., *non dicitur aliquid eſſe corruptibile per hoc, quod Deus poſſit illud in non eſſe redigere, ſubtrahendo ſuam conſervationem, ſed per hoc quod in ſeipſo aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel ſaltem potentiam materiæ.*

Apoſtolus autem eo in ſenſu ſolum Deum immortalem appellat, quo ſolus etiam Deus dicitur bonus Marci 18. v. 18., & ſolus ſapiens Rom. 16. v. 17. Quia nempe perfectiones omnes Deo independenter ab alio quocunque conveniunt; creaturæ vero licet ſapientiam, bonitatem, & immortalitatem habeant, non tamen habent, niſi dependenter a Deo. Non igitur ex laudato textu ſecunda pars aſſertionis infringitur, ſed pars tertia confirmatur.

Ita etiam dum Patres ajunt, Angelos non ex ſui natura eſſe immortales; negant dumtaxat, quod illi ex ſeſe independenter a divino influxu indeficientem habeant exiſtentiam. Unde poſt objecta verba ſubdit Hieronymus: *Et aliud ſit verum eſſe per ſemet, aliud in poteſtatem donantis eſſe, quod habeas.* Ceterum cum Eccleſiæ Patres ſæpe pronuncient, Angelos ſimplices eſſe ſpiritus, neque internum corruptionis habere principium; idcirco ex ipſorum doctrina colligitur, quod Angeli hoc in ſenſu dici recte poſſunt intrinſecus immortales, quatenus ex ſui natura ad perpetuo exiſtendum inclinant. Unde Damaſcenus in lib. 2. de fide c. 3. ait: *Angelus eſt ſubſtantia corporis expers, immor-*

mortalitatem in natura Dei munere conſequuta.

Ex quo & illud apparet, quod dum iidem Patres divinæ gratiæ Angelorum immortalitatem attribuunt, gratiæ nomine non beneficium ordinis ſupernaturalis intelligant; immortalitas enim bonis maliſque Angelis eſt communis; cum tamen in malis Angelis nullum donum ſupernaturale remanſerit. Gratiæ igitur nomine Dei beneplacitum, & libera voluntas exprimitur, qua Angelos condere, & in æternum juxta naturalem illorum inclinationem conſervare conſtituit: ſicuti nempe indebitum, & gratis a Deo collatum creationis beneficium *non improbanda ratione* gratia nuncupatur; ut ajunt Africani Concilii Patres in Epiſtola inter Auguſtinianas nunc 177.

Tandem mirum eſſe non debet, ſi Plato putaverit, Angelos intrinſecus eſſe mortales, cum eoſdem aereis corporibus colligatos eſſe cenſuerit; uti ipſe in citato libro ſcribit, & uti refert etiam Auguſtinus in lib. 8. de C. D. capite præſertim 16.

At inſtabis. Quia Angeli ex nihilo creati ſunt, idcirco ineſt eis peccandi potentia, poſſuntque moraliter ex ſui natura deficere: ob eandem igitur rationem phyſice etiam deficere poſſunt, ſive ſunt ex ſui natura mortales.

Reſp., quod non repugnet, rem aliquam ex nihilo produci, & ſpiritualem eſſe, ſive carere materiali principio, ex quo phyſica mors, ſive corruptio, defectioque deſcendit: & hoc dumtaxat includit naturalis immortalitas Angelorum. At repugnat, quod res aliqua ex nihilo ſit producta, ſimulque ſibi ſit regula morum, ſua beatitudo, & ultimus finis, quin Deo ſubdatur; cujuſmodi eſſe deberent Angeli, ſi mora-

raliter deficere ex ſui natura non poſſent. Angelis itaque non per naturam, ſed per gratiam competit, quod moraliter deficere nequeant; quod vero non poſſint phyſice deficere in nihilum redeundo, ex intrinſeca ſpiritualitate recte repetitur: adeoque dicendi ſunt illi naturaliter immortales, quamvis a prima cauſa neceſſario in hac etiam perfectione dependeant. Lege Doctorem Angelic. in p. 1. q. 9. a. 2.

Poſtremo notamus, quod ſi mortalitas pro mutabilitate quacunque ſumatur, mortales dici poſſunt tum Angeli, tum animæ rationales; contingenter enim ſibi copulant cogitationem, affectum, ſapientiam, ſanctitatem &c. Et hoc in ſenſu Auguſtinus laudatum ſupra Pauli textum explanat in lib. 2. alias 3. contra Maximinum c. 12. ubi hæc inter alia ſcribit: *In omni mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea non eſſe, quod erat. Et creaturarum natura cæleſtium mori potuit, quia peccare potuit. Nam & Angeli peccaverunt, & dæmones facti ſunt, quorum eſt diabolus princeps: & qui non peccaverunt, peccare potuerunt: & cuicunque creaturæ rationali præſtatur, ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ, &c.*

CA-

CAPUT IV.

Agit de differentia, quæ inter Angelos invenitur.

CUm ad præſentem controverſiam dirimendam non Scripturæ, non Patrum certa adſit auctoritas, neque naturale rationis lumen affulgeat; mirandum profecto non eſt, ſi Scholæ Theologi hac de re valde diſſentiant, ac leves tantummodo afferant conjecturas. Defendunt ergo Thomiſtæ, quod Angeli omnes ſive ejuſdem, ſive diverſi ſint Ordinis, inter ſeſe ita neceſſario ſpecie differant, ut numero tantum differre non poſſint: & eorum quidem aliqui neque per abſolutam Dei virtutem id fieri poſſe contendunt; alii vero ordinariæ tantum potentiæ ejuſcemodi impoſſibilitatem attribuunt.

At Thomiſtarum opinio a Scotiſtis, aliiſque rejicitur, qui affirmant, quod poſſint Angeli ſub una eademque ſpecie inter ſe tantum numero diſcrepare. Horum tamen Theologorum aliqui ſentiunt, quod Angeli, qui ad eundem Ordinem pertinent, non ſpecie, ſed ſolum numero diſtinguantur; qui vero diverſi ſunt Ordinis, & numero differant, & ſpecie: alii autem arbitrantur, quod omnes diverſorum etiam Ordinum Angeli eandem ſpecie naturam habeant, & numero dumtaxat invicem diſcernantur. His ita præmiſſis ſit

Propoſitio I. Non repugnat, quod Angeli inter ſe ſpecie diſtinguantur. Ita ſentiunt Scoti-

tiſtæ, Thomiſtæ, aliique communiter.

Probatur. Si id repugnaret, vel ex parte Dei, vel ex parte Angelorum eſſet contradictio repetenda: atqui ex parte Dei nequit hujuſce rei contradictio provenire, tum quia omnipotens ille eſt, tum quia cum infinitus ſit, perfectiones ſuas, quas inter ſpiritualitas recenſetur, multiplici modo poteſt tribuere creaturis. Hinc reipſa Angelus, & rationalis anima ſunt quidem ſpiritualis eſſentiæ; hujuſcemodi vero perfectionem non eodem modo participant, neque ad eandem ſpeciem proximamque eſſentiam reducuntur.

Neque ex parte Angelorum repeti contradictio poteſt: nam ſi inter viventia, quæ vegetativa dicuntur, plantas arboreſque plures ſpecie differentes aſpicimus; & inter viventia, quæ ſenſu ſunt prædita, tot animalium ſpecies numerantur; cur inter viventia, quæ complete ſunt ſpiritualia, & in perfecto intellectionis gradu conſtituuntur, eſſentialis & ſpecifica differentia repugnabit?

At dices. Rationalis anima ſpecie multiplicari non poteſt: ergo idem etiam de Angelica natura dicendum eſſe videtur.

Reſpondent aliqui, rationales animas in eadem ſpecie reipſa conſtitui, cum nulla eſſentialis diverſitas ex earum operationibus innoteſcat: cum tamen animarum natura finita ſit, poſſent illæ non uno modo Dei perfectiones ipſamque ſpiritualitatem participare; proindeque poſſet Deus, ſi vellet, rationales animas ſpecie differentes efficere.

Rectius autem reſpondetur, negando paritatem; & diſcriminis ratio ducenda videtur ex eo, quod rationalis anima ad informandum corpus

pus inclinat, cum quo hominem conſtituit; homo autem infima ſpecies eſt, quæ in ſpecies alias non dividitur, ſed pluribus tantum individuis communicatur: ergo & rationalis anima ejuſdem eſt conditionis, & indiviſibilem habere debet eſſentiam; alioquin ſicuti multiplicari ſpecie poſſet in homine principale conſtituens, ita multiplicari poſſet etiam conſtitutum.

Propoſitio 2. Non repugnat, quod plures Angeli ſub eadem *infima* ſpecie inter ſeſe ſolum numero diſtinguantur.

Probatur. Quælibet natura creata, etiamſi ſit ſub infima ſpecie, ex ſeſe non ſingularis eſt & individua, ſed communis & univerſalis: ita homo, qui ſub infima ſpecie continetur, non ſingularem, ſed communem habet eſſentiam. Ergo quælibet natura creata, licet ſub infima ſpecie ſit conſtituta, pluribus individuis poteſt communicari; univerſale enim ordinem dicit ad plura: ergo Angelica natura ſub infima etiam ſpecie, cum ſit univerſalis, plura reſpicit individua, quibus illam communicari poſſe nil vetat.

Et ſane natura unius Angeli, puta Michaelis, duos in ſe conceptus includit; unum quidem, quo magis cum aliis Angelis convenit, quam cum rebus aliis, quæ completa ſpirituali natura non conſtant; & alterum, quo talis perſona ſingularis dicitur, & exiſtit; uti enim vulgo dicitur, *exiſtentia eſt ſingularium*: ergo Angelica natura eſt ex ſeipſa communis, & in pluribus poteſt reperiri ſuppoſitis. Si enim duo illi conceptus in Angelo nulla eſſent ratione diſtincti; ergo Angelica natura ex ſeſe ſingularis eſſet, ſicut eſt divina ſubſtantia, & Michael per idem eſſet Michael, & Angelus: proindeque

que ſicuti non niſi unus eſt Michael, ita non niſi unus eſſe poſſet & Angelus. Eſſet inſuper Angelus in oppoſita opinione ſimplex omnino ac purus actus, non compoſitus ex eſſentia, & exiſtentia, & ſingularitate; quod Deo tantum convenire alio in loco monſtravimus.

Huc accedit, quod Angelica natura bona ſit ac perfecta: ergo & communicabilis dicenda eſt; uti enim ajunt Philoſophi, *omne bonum eſt ſui diffuſivum:* atqui ſine numerica ſui multiplicatione ac diviſione communicari non poteſt, cum intrinſecus ſit finita; ſola namque Divina natura ratione infinitatis ſuæ ſine diviſione poteſt tribus communicari Perſonis: ergo Angelicam ſpeciem, licet infimam, in plura individua dividi non repugnat.

Tandem poſſunt rationales animæ ſub eadem ſpecie numerice multiplicari: ergo id ipſum de Angelis dici poteſt. Sed de hoc argumento clarius mox agemus.

Objicies 1. Angelus eſt forma ſimplex omnino; ergo alter ab altero ſola forma diſtinguitur: atqui forma eſt ipſamet rei eſſentia, quæ ſpecies appellatur: ergo Angeli ſola poſſunt ſpecie diſcrepare.

Et profecto natura Angeli eſt forma abſtracta, quæ in ſubjecto non recipitur, ſed in ſeipſa & abſolute ſubſiſtit: ergo indiviſibilis eſt, & numero multiplicari non poteſt; cum in unico Angelo tota ſpeciei perfectio inveniatur; ſicuti quia in abſtracta albedinis forma omnis ſingularium albedinum perfectio continetur, ideo nequit illa in plura diſtribui.

Reſp. ad 1. diſtinguo antec., eſt forma phyſice quoad ſubſtantiam ſimplex, quatenus nempe materia caret & corpore, concedo; metaphy-

phyſice ſimplex, quatenus ex ſpecifico, & individuali conceptu non conſtat, nego antecedens; & diſtinguo conſequens, diſtinguuntur Angeli per ſolam formam, id eſt, per ſpiritualem eſſentiam, quæ tamen ex ſpecifico & individuali conceptu componitur, concedo; quæ non eſt ita compoſita, nego conſequentiam. Nam ſicuti forma rationalis animæ, quæ phyſice ſimplex, & metaphyſice compoſita eſt, ab alia etiam rationali anima ſolo numero differt; ita de Angelis ſimiliter eſt dicendum.

Non ergo Angeli formæ ſunt ita ſimplices, ut metaphyſicam quoque compoſitionem illam excludant, quæ ex natura, & ſingularitate conſurgit. Natura enim Angeli eſt intrinſecus univerſalis; alioquin neque ſpecie multiplicari poſſet, ſecus ac Thomiſtæ contra quos agimus, opinantur: ut autem illa exiſtat, oportet, ut ſingularis evadat: ergo ante quodcumque mentis noſtræ figmentum, Angelus duplici prædicato componitur, individuali ſcilicet, per quem exiſtit; & univerſali, per quem ejus natura, cum bona ſimul & finita ſit, non ſine numerica ſui diviſione communicatur.

Ad alterum diſtinguo antec., eſt forma abſtracta, quatenus non eſt materialis, concedo, quatenus Angelica natura nequit eſſe eadem ſpecie in diſtinctis numero Angelis, nego antec. In unico enim Angelo eſt tota ſpeciei perfectio non extenſiva, quatenus natura ejus pluribus individuis communicari non poſſit; ſed intenſiva dumtaxat, quatenus quilibet Angelorum omnia prædicata participat, quæ ſunt eſſentialia ſpeciei: nempe quemadmodum homo quilibet in ſe utique prædicatum omne complectitur, quod ſpecifica ratio humanæ naturæ requi-

quirit; non tamen excludit alia individua, quæ eandem cum ſeipſo ſpeciem habeant. Formæ inſuper abſtractæ, uti albedo, rationalitas &c., ſi conſiderentur, ut intelligibiles rationes & ideæ rerum, phyſice non exiſtunt; adeoque non ſunt ſingulares, ſed in ſola mentis intelligentia continentur, quatenus per eas de omni albedine, & rationali ſubſtantia judicamus. At Angelica natura eſt forma phyſica, quæ cum infinita perfectione non gaudeat, ita exiſtit, ut in plura individua illam dirimi non repugnet.

Sed urgebis. Angelus inter omnes creaturas ad Dei perfectionem magis accedit: ergo ſicuti Deus quia purus eſt actus, neque ſpecie neque numero multiplicari poteſt; ita Angelus quia eſt Deo inferior, poteſt multiplicari ſpecie: quia vero creaturis aliis perfectior eſt, nequit numero multiplicari.

Reſp. Ex eo quod Angelus Dei perfectionem proximius imitatur, tantum evincitur, quod ſpiritualis ſit & incorporeus, adeoque in intelligendo & operando qualibet ſit creatura perfectior. Cum vero Divina natura idcirco ſpecie ac numero multiplicari non poſſit, quia infinita eſt & eſſentialiter ſingularis; jam profecto patet, quod creatura quæcunque ſive ſpiritualis, ſive corporea, etiamſi infimæ ſit ſpeciei, in plura individua diſtribui poſſit; quia videlicet finita eſt, aliorumque ſingularitates in ſeipſa formaliter non includit.

Inſtabis. Non ob aliud individua multiplicantur, quam ut ſpecies conſervetur; corruptibilia namque deficerent, niſi ad plura individua eorum ſpecies ſe extenderet; cum ergo Angeli incorruptibiles ſint ſpiritualeſque ſubſtantiæ, in uni-

unico etiam individuo illorum ſpecies perſeverat.

Reſp. ex S. Bonaventura in 2. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. quod *ratio potiſſima multiplicationis in hominibus & in Angelis eſt Divinæ potentiæ, & ſapientiæ, & bonitatis declaratio & collaudatio; quæ manifeſtatur in multiplicatione, & gloriæ Beatorum amplificatione; quia amor charitatis exultat in multiplicatione bonæ ſocietatis*. Ergo adducta ratio, dum de ſpirituali creatura diſſeritur, nullo modo concludit; potuit namque Deus plures numero Angelos efficere, quia ad ſui gloriam ita diſpoſuit: cum vero loquimur de humana natura quæ corruptioni ſubjicitur, vera quidem eſt adducta ratio, ſed neque unicam, neque præcipuam numericæ multiplicationis cauſam manifeſtat. Etſi enim incorruptibiles eſſent homines, poſſet Deus ad ſuorum attributorum oſtenſionem eos numero plures efficere. Ergo perſeverare quidem poſſet ſpecies in unico individuo; ita tamen, ut alius ſemper ſpeciei, alius individui ſit conceptus, ille communis, iſte ſit proprius: adeoque ſemper poſſet Deus ſpecificam naturam pluribus communicare individuis, licet illa in unico individuo reipſa ſubſiſteret.

Objicies 2. cum Gotti in tract. 9. de Deo Creatore Angelorum q. 2. dub. 2. §. 2. n. 25. „ Quæ carent principio numericæ multiplicatio„ nis, ſi differunt, differunt ſpecie: Sed An„ geli carent principio numericæ multiplicatio„ nis, & de facto differunt inter ſe: ergo dif„ ferunt ſpecie. Minor probatur. Principium „ numericæ multiplicationis eſt materia, vel „ ordo ad materiam, ſeu ſubjectum, in quo „ forma recipitur: unde quæ conveniunt in ſpe-

„ cie, & differunt numero, conveniunt in for-
„ ma, & differunt materialiter: ſed Angeli ca-
„ rent materia, ut dictum eſt, & quia ſunt
„ formæ per ſe ſubſiſtentes, nullum dicunt or-
„ dinem ad materiam, ſeu ſubjectum; ergo "
&c. *Majorem propoſitionem probat Gotti auctoritate Doctoris Angelici, præſertim ex q. unica de ſpirit. creat. a. 8. ac deinde ſubjungit:* „ Unde
„ patet ratio, quare anima rationalis, etſi for-
„ ma ſit, tamen numero multiplicetur, quia
„ non eſt forma per ſe ſubſiſtens, ſed per ſe
„ ordinata ad materiam ſeu corpus; unde ex
„ numerica multiplicatione corporum, & ipſa
„ materialiter, & numerice multiplicatur.

Reſp., nego min., ad cujus probationem nego maj. Materia individuationis principium eſſe non poteſt: Deus enim licet nullo modo ad materiam ordinetur, individuus tamen eſt, & eſſentialiter ſingularis, & unus. Rationalis etiam anima licet ad corpus inclinet; antequam tamen propenſio illa concipiatur, & ordo, individua eſt; ordo enim conceptum relationis includit; abſoluta vero entitas, ſi non tempore, natura ſaltem prior eſt relatione, etiamſi hæc eſſentialis, ſive tranſcendentalis eſſe dicatur. Ergo prius anima uti ſingularis in ſeipſa ſubſiſtit, quam ordo ejus & inclinatio ad corpus & materiam cognoſcatur: non ergo ex inclinatione ad corpus individua, & ſingularis eſt anima.

Dicendum itaque eſt, quod quemadmodum per propriam internamque ſpecificam differentiam res ſpecie multiplicantur; ita multiplicantur & numero per propriam, & intrinſecam differentiam ſingularitatis: quod & in ipſa materia luculenter apparet; illa enim cum exiſtat,

ſin-

ſingularis eſt & individua, abſque tamen ullo ordine ad aliud ſubjectum; eſt enim ipſa ſubjectum primum omnium formarum, & indifferens eſt ad quamlibet formam recipiendam, adeoque per propriam, & abſolutam formalitatem redditur ſingularis.

Quæ diximus, ex S. etiam Bonaventuræ doctrina facile confirmantur; hæc enim ille ſcribit in 2. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. *Objicitur, quod diverſitas ſecundum numerum venit ex diviſione materiæ. Dicendum quod falſum eſt: ſed multitudo per generationem venit ex diviſione materiæ, quia generans dat generato partem ſuæ ſubſtantiæ. Diverſitas autem Angelorum non eſt per multiplicationem unius ab altero; ſed omnium Angelorum diverſitas eſt a Deo*. Ubi claritatis gratia adnotamus, quod Deus efficiens cauſa ſit, cur plures numero ſint Angeli; quemadmodum & generans efficit, ut ſingulare ſit genitum: at formalis, ut ajunt, cauſa multiplicationis illius, ex interno principio repetenda eſt, ſicuti & de formali cauſa ſpecificæ multiplicationis ſimiliter opinamur.

Neque Doctor Angelicus opinioni noſtræ penitus adverſatur; affirmat enim in Opuſculo 16. contra Averroiſtas, quod ſi intellectus eſſet ab omni materia ſeparatus, & unus in omnibus hominibus, poſſet tamen per Dei virtutem numero multiplicari. *Nihil enim prohibet*, ait S. Doctor, *aliquid non habere in ſua natura cauſam alicujus, quod tamen habet illud ex alia cauſa: ſicut grave habet ex ſua natura, quod non ſit ſurſum; tamen grave eſſe ſurſum ſecundum ſuam naturam contradictionem includeret. Sic ergo intellectus ſi naturaliter eſſet unus omnium, quia non haberet naturalem cauſam*

multiplicationis, poſſet tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa, nec eſſet implicatio contradictionis. Ex quibus S. Thomæ verbis non obſcure colligitur, quod ſaltem de abſoluta Dei potentia non repugnet, Angelos plures numero eſſe, quin a materia individuationem accipiant: quod etiam affirmare videtur in quæ. unica de ſpirit. creat. c. 8. ad 4.

Propoſitio 3. Affirmari probabiliter poteſt, quod reipſa etiam plures ſint Angelorum ſpecies, pluresque Angeli ſub eadem ſpecie inter ſe tantum numero diſtinguantur.

Prob. 1. pars. Scriptura paſſim inter Angelos diſtinctionem eſſe demonſtrat, dum eorum alios Seraphim, alios Cherubim, Thronos, Dominationes &c. non infrequenter appellat. Modo uti argumentatur Alenſis in p. 2. q. 20. membro 6. a. 1. „ Qui ſunt in Ordine Seraphico, plus conveniunt inter ſe, quam conveniant cum illis, qui ſunt de Ordine Cherubim, aut Thronorum; Ergo cum illi, qui ſunt de Ordine Seraphim, inter ſe conveniant in ſpecie & differant ſecundum numerum, vel conveniant ſecundum genus, & differant ſpecie; ita illi, qui ſunt de Ordine Seraphim differunt ab his, qui ſunt de Ordine Cherubim, *genere vel ſpecie*. Præterea cum ordines diſtinguantur ſecundum officia: officia autem ſunt differentia genere, vel ſpecie: ergo & Angeli, qui ſunt in Ordinibus differunt genere, vel ſpecie.

Neque hic reſpondere quis poterit, quod diverſitas illa nominum non diverſitatem ſpecificæ naturæ ſignificet, ſed diſcrimen gratiæ dumtaxat, & meriti, officiique declaret. Nam ex communi Theologorum aſſertione Deus inæ-

qua-

quidem gratiam conceſſit Angelis, juxta majorem vel minorem ipſorum naturalem perfectionem; unde Doctor Angelicus in p. 1. q. 62. a. 6. ait, quod *ſicuti natura Angelica facta eſt a Deo ad gratiam & beatitudinem conſequendam; ita etiam gradus naturæ Angelicæ ad diverſos gradus gratiæ, & gloriæ ordinati videntur*. Idem docet etiam S. Bonaventura in 2. d. 9. a. unico q. 3.

Quapropter recte quidam Theologi ad confirmandam hanc theſim adducunt id, quod ait Auctor lib. de Cœleſti Hier. c. 5. *Enunciant ſanctorum voluminum Traditiones, ſuperiores ſubſtantias eſſe graduum inter ſe celſitudine differentes*. Et quod ſcribit Hieronymus in lib. 2. contra Jovin. c. 15. *Inter inviſibiles creaturas multiplex eſt, & infinita diverſitas*. Recte, inquam, hæc aliaque hiſce ſimilia teſtimonia proferuntur: licet enim de diverſitate donorum gratiæ poſſent exponi; quia tamen, uti citato in loco docet S. Thomas, *Angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia & gloria*; idcirco de utraque diverſitate rectiſſime explicantur. Atqui ſi in Angelis diverſa eſt perfectio naturalis, ſpecifica etiam perfectio diverſa eſt; *ſpecies* enim, uti Philoſophi inquiunt, *in indiviſibili conſiſtit*; ita nimirum ut ſi ſpeciei addatur prædicatum aliquod, vel dematur, non eadem deinde remaneat. Diverſæ ergo ſpeciei ſunt Angeli.

Præterea uti patet ex dictis, poſſibiles ſunt plures ſpecies Angelorum: ergo non improbabiliter affirmatur, quod reipſa plures Angeli ſpecie differentes exiſtant. Iſta namque diverſitas Dei ſapientiam ac potentiam ſummopere commendat, & Univerſi perfectionem mirum

in modum amplificat: ergo quemadmodum Deus viſibilem mundum tanta ſpecierum varietate diſtinxit, quanta in corporeis rebus apparet; ita dicendum eſſe videtur, quod intelligibilem mundum multiplici ſpecie Angelorum ornaverit.

Quo etiam argumento pars ſecunda probatur. Sicut enim ad Dei laudem, & Univerſi pulchritudinem confert, quod plures ſint Angelorum ſpecies; ita & quod plura ſint Angelorum individua, quæ eandem habeant infimam ſpeciem, eandemque naturam. Unde Seraphicus Doct. in 2. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. ait: *Gloria eſt Regi habere multos miniſtros uniformes: ergo ſi glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti; videtur, quod multi ſint uniformes in illo ſuperno Palatio, & ita ſolo numero, vel perſona differentes.*

Accedit, quod uti ibidem ait S. Doctor, *omne animal per naturam deſiderat ſocietatem ſimilis in ſpecie: nam omne animal ad ſibi ſimile copulatur, & volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt: ergo Angelus per naturam deſiderat ſocietatem ſimilis in ſpecie: ſed deſiderium ejus non eſt fruſtra, maxime in Angelo beato: ergo* &c. Si ergo perfectior concordia, arctiuſque amicitiæ vinculum inter ejuſdem ſpeciei individua reperitur, quam ſi diverſæ illa fuerint ſpeciei; uti vero magis ſimile judicamus, quod ejuſdem Ordinis Angeli eiſdem in ſpecie ſupernaturalibus donis ornentur, & quod eandem ſpecie naturam habeant, atque inter ſeſe tantum numero diſtinguantur.

Objicies contra 1. partem. Quamvis inter homines ſint plures Ordines, plureſque Hierarchiæ; non tamen illi diverſam ſpeciem habent:

er-

ergo idem de Angelis dici poteſt; præſertim cum non pauci ex Patribus eandem in iſtis naturam eſſe evidenter affirment. Ita S. Baſilius in lib. 3. contra Eunomium inquit: *Angeli omnes ut appellationis unius, ſic & naturæ omnino ſunt ejuſdem invicem.* Hoc docent pariter Nyſſenus in lib. 6. contra Eunomium, Cyrillus Alexand. lib. 2. in Jo., Maximus Martyr in caput 5. de cœleſti Hierarchia &c. Ergo Angeli dignitate tantum, & ordine differunt, non ſpecie, non natura.

Reſp., quod diverſitas ordinum, quam in hominibus videmus, non eſſentialis ſit, & ſpecifica, ſed accidentalis tantummodo, & externa; nam qui plebejus eſt, nobilis fieri poteſt, & ad regale ſolium elevari. At ex probationibus apparet, quod Angeli non ex extrinſeca tantum Dei diſpoſitione, ſed ex ſui etiam natura ad diverſas Hierarchias, Ordineſque pertineant; cum diverſitas gratiæ, & donorum diverſitatem naturæ in eis oſtendat. Hinc non ulla ſine ratione quidam ex Theologis affirmarunt, non poſſe Angelos ex uno Ordine in alium tranſire, utputa nequit Seraphim ad Ordinem Cherubim devenire.

Patres vero dum aſſerunt, Angelos omnes eandem ſpeciem, eſſentiam & naturam habere; nihil adjungunt, quo ſe loqui de unitate tantum ſpeciei ultimæ infimæque demonſtrent; ſicuti omnes homines eandem eſſentiam habere dicuntur. Eorum itaque verba exponi ſic poterunt, quod Angeli quidam eandem in ſpecie infima naturam habeant, & tantum numero ſint diſtincti; alii vero qui diverſi ſunt Ordinis, in ſubalterna quidem ſpecie conveniant; in ſpecie tamen infima, ac in numero ſecernantur:

tur: quatenus nempe licet omnes ſint ſubſtantiæ intellectivæ completæ, ſub iſta tamen communi ratione ſpecies aliæ continentur: ſicuti dicimus, quod ſenſibilia omnia ejuſdem ſint naturæ; quia videlicet communem rationem materiæ corporiſque participant.

Et certe Baſilius objecto in loco demonſtrat, quod ſicuti inter Angelos eſt quidem ordo, Angelicam tamen naturam omnes habent; ita & Spiritus Sanctus, eſto a Patre Filioque ſit tertius, eandem tamen cum illis habet Divinitatis eſſentiam. At ſicut inde non ſequitur, quod Angeli habeant eandem numero naturam, ſicuti habet Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio; ita neque neceſſario ſequitur, quod eadem *ſpecie infima* natura inveniatur in Angelis. Hoc etiam in ſenſu aliorum Patrum auctoritates utcunque poterunt explicari.

Et hæc quidem veriſimili tantum conjectatione dicta ſufficiant, cum nihil certi hac de re ſcire humana mens valeat. Unde S. Auguſtinus in lib. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas c. 10. ſcribit: *Eſſe itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cæleſtibus apparatibus firmiſſime credo, & differre inter ſe aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas eſſe Doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio.* Idem quoque aſſerit Damaſcenus in lib. 2. de Fide c. 3.

CA-

CAPUT V.

De modo quo Angeli cognoſcunt : Ubi etiam aliqua, quæ ad eorum locutionem pertinent, paucis explicantur.

QUod Angeli intellectiva polleant facultate, luce clarius demonſtratur tum ex receptiſſima inter omnes opinione, tum ex eo quod ſpirituali conſtent eſſentia, libero inſtruantur arbitrio, ad beatitudinem ordinentur, & ad Dei imaginem ac ſimilitudinem ſint creati. Cum igitur non oporteat, ut de notiſſimis diſſeramus, ea tantum quæ ardua magis ſunt, explanare nitemur. Et hoc quidem in capite de modo tractabimus, quo angelicam cognitionem peragi probabilius arbitramur. Quamvis enim ſatius nobis eſſet hac ſuper re, quæ graviſſima prémitur difficultate, altum ſervare ſilentium ; ne tamen Scholæ morem ac methodum deſeruiſſe videamur, nonnulla, de quibus interminabiles olim lites habuere Theologi, paucis attingemus.

Jam in lib. 3. c. 5. notavimus, ſpeciem impreſſam, expreſſamque deſtingui : & iſta quidem ipſa cognitio eſt, illa vero eſt ſimilitudo virtualis objecti. Nos hic de impreſſa tantum ſpecie loquimur, quærimuſque, an angelicus intellectus ejuſcemodi ſpeciebus indigeat, ut in objecta ſua feratur ; & an illæ ingenitæ ſint,

ſint, an vero per temporum ſucceſſionem ab ipſis accipiantur objectis, vel a Deo potius Angelorum mentibus infundantur?

Plures Theologi cum Thomiſtis affirmant, quod Angeli, quæ naturaliter cognoſcunt, intelligant per ſpecies à Deo in principio creationis infuſas. Alii cum Scotiſtis exiſtimant, quod Angeli, etſi non omnes, aliquas tamen rerum ſpecies ab objectis accipiant. Putant nonnulli, quod Deus angelicæ menti, prout objecta ſucceſſive cognoſcenda ſiſtuntur, ſpecies objectorum per ſingulas vices infundat. Arbitrantur denique alii, quod impreſſæ ſpecies, tanquam naturales Angeli proprietates, ab ipſa ejus ſubſtantia, vel intellectu derivent. Quid autem nobis in tanta opinionum varietate veriſimilius videatur, ſequentes aperient propoſitiones.

Propoſitio 1. Non poteſt ulla ſpecies earum rerum, quas Angelus intelligit, a ſola ejus ſubſtantia, vel intellectu, uti naturalis proprietas, dimanare.

Probatur. Naturæ proprietates mutari non poſſunt, ſicuti neque ipſa natura mutatur: ergo quacunque in hypotheſi eædem ſemper ſpecies Angelo ineſſe deberent, ſi illæ ab hujus eſſentia, tanquam naturæ proprietates, effluerent: atqui ſi Deus res alias produxiſſet, non fuiſſent in Angelo eædem rerum ſpecies, quæ nunc hujuſce Univerſitatis cognitioni deſerviunt.

Deinde ſpecies eſt ſimilitudo objecti; & quidem perfecta, ſi intuitivam pariat cognitionem: non ergo naturaliter poteſt a ſola Angeli ſubſtantia vel intellectu manare; ſed vel ab intellectu ſimul & objecto procedit, vel a Deo infunditur, qui ſolus efficere poteſt, quid-

quid

quid cauſæ ſecundæ producunt.

Propoſitio 2. Angeli ſeipſos, aliasque res, quæ ſibi ſunt præſentes, abſque ullo ſpeciei impreſſæ concurſu cognoſcunt.

Probatur. Intuitiva cognitio ſpeciei impreſſæ adminiculum non requirit. Uti enim in lib. 3. c. 5. dictum eſt, tunc ad cognitionem ſpecies impreſſa concurrit, quando objectum ab intellectu vel loco, vel tempore, vel alia ratione disjungitur: atqui Angeli ſeipſos, omnemque rem præſentem intuitive cognoſcunt: ergo in hoc rerum genere ſpecie impreſſa non indigent.

Et re quidem vera quidquid juxta Scholaſticorum opinionem impreſſa ſpecies operatur, id per ſeipſum præſtare poteſt objectum, movendo ſcilicet, ut inquiunt, & excitando angelicum intellectum ad ſui cognitionem. Quæcunque enim res ſive ſpiritualis ſit, ſive materialis, dum Angelo adeſt, mentem ejus ad cognoſcendum determinare poteſt; quia uti Scotiſtæ ajunt, *motiva intelligibilitas eſt proprietas entis*; id eſt, ex ipſo communi rei conceptu deſcendit, quod intellectum ad ſui cognitionem valeat excitare. Sine vero ſufficienti ratione nonnulli aſſeruere Scholaſtici, quod principium ex parte objecti concurrens inhærere neceſſario debeat intellectui, ut illum ad cognoſcendum tanquam intrinſeca cauſa determinet. Dum ergo objectum eſt præſens, ſpecies impreſſa quæ hujuſce vices ſuppleat, ad cognitionem angelicam non concurrit; & ideo quidam Scholæ Theologi ſpeciem illam *objecti vicariam* nominarunt.

Ex dictis evincitur, quod cum SS. Angeli facie ad faciem Deum aſpiciant, licet ſuperna-

turali auxilio egeant, quod illorum mentes elevat illuſtratque; non tamen impreſſa ſpecie opus habent, quæ abſtractivam obſcuramque pareret cognitionem.

Propoſitio 3. Angelus per ſuam ſubſtantiam ſeipſum quidem intuetur, alia vero non item.

Probatur 1. pars. Angeli ſubſtantia cum ipſius intellectu proximam habet proportionem, tum *entitativam*, cum in eodem ſpiritualitatis gradu conſtituantur; tum *objectivam*, cum ſibi invicem intime ſint præſentes: ergo Angelus ſeipſum in ſeipſo cognoſcit.

Probatur 2. pars. Cognitio fit per ſimilitudinem: atqui ſubſtantia unius Angeli a ſubſtantia alterius Angeli ſaltem numero differt; ab aliis vero rebus vel ſpecie, vel etiam genere diſcrepat: ergo nequit Angelus per ſuam ſubſtantiam alia a ſeipſo diſtincta intuitive cognoſcere, quamvis ſub communi ratione entis, ſubſtantiæ, ſpiritus &c. poſſit alia in ſeipſo abſtractive percipere. Quod vero Deus licet non ſit ſimilis creaturæ, in ſua tamen ſubſtantia intuitive cuncta cognoſcit; id ex infinita eſſentiæ ſuæ unitate & intelligibilitate deſcendit; quæ ſane perfectio in nullo creato ente rationabiliter admitti poteſt.

Propoſitio 4. Deus Angelis ab initio creationis eorum infudit ſpecies, quibus univerſales naturas omnes, & individua præſtantiora cognoſcerent.

Probatur. Ezechielis c. 28., v. 12. legitur de Rege Tyri, ſub cujus figura Lucifer, ejuſque Angeli deſignantur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore.* Et v. 15. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Atqui

qui talem ac tantam ſcientiæ perfectionem, quæ ſine univerſalium naturarum, & præſtantium individuorum cognitione eſſe non potuit, non habuerunt Angeli per ſpecies acquiſitas; illa namque breviſſima mora, quæ inter Angelorum omnium conditionem, caſumque rebellium interfluxit, ſatis ad hoc non fuit, ut ex ipſis objectis ejuſcemodi ſcientiam haurirent.

Auguſtinus etiam in lib. 2. de Gen. ad lit. c. 8. ſcribit, quod Angeli ante rerum productionem ſcientiæ perfectione ſint præditi; putat enim, quod omnia, quæ infra naturam Angelicam ſunt, *ita creantur, ut prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere ſuo*. Et poſt pauca: *Conditio vero cœli prius erat in Verbo Dei ſecundum genitam ſapientiam: deinde facta eſt in creatura ſpiritali, hoc eſt in cognitione Angelorum ſecundum creatam in illis ſapientiam: deinde quod cœlum factum eſt, ut eſſet etiam ipſa cœli creatura in genere ſuo*. Ergo Angeli ab ipſo creationis initio plurium rerum ſpecies a Deo immediate habuerunt infuſas.

Quidam ex Theologis affirmarunt, innatas ideas eſſe ipſum rationis lumen; quod probare non poſſumus. Illud namque lumen ſe habet ex parte potentiæ, & nullo modo ab intellectu diſtinguitur, eſtque indifferens ad rem quamlibet cognoſcendam: at ingenitæ ideæ determinatum objectum aliquod manifeſtant, & ab angelica mente, quod Deo donante colluſtrant, ſeparari poſſunt, & realiter diſtinguuntur. Aut itaque harum idearum naturam ignotam nobis eſſe fatebimur, aut cum recentiores Theologi nihil melius hac de re ſenſerint, Paripateticis aſſentiemur ajentibus, ejuſcemodi ideas eſſe crea-

tas

tas quaſdam & abſolutas qualitates; ſicuti & de lumine gloriæ opinando idem ſcripſimus in lib. 3. c. 5.

Propoſitio 5. Objecta alia, quæ in temporis decurſu cognoſcuntur ab Angelo, & ab ejus intelligentia vel loco, vel tempore, vel alio modo ſunt diſſita, per factitias ideas intelliguntur.

Probatur. Quidquid cognoſcit Angelus, vel immediate intuetur, vel per impreſſam ſpeciem, quæ objecti vices ſupplet, intelligit: atqui objecta quomodocumque diſtantia, intuitive & in ſeipſis cognoſci non poſſunt ab Angelo; cognoſcuntur igitur abſtractive, & in ſpeciebus impreſſis: atqui ſpecies illæ pro arbitrio dicuntur innatæ; nulla namque relucet ratio, ut aſſeramus, Deum ab initio creationis Angelis infudiſſe ſpecies de minimis quibuſcumque, & infinitis fere rebus, quorum cognitionem in temporis decurſu facile ſibi Angelus poterat comparare.

Neque dicamus oportet, quod Deus ipſe jugiter ſpecies illas mentibus Angelorum infundat, quotieſcunque iſti diſtantia cognoſcunt objecta; cum poſſit Angelus ſicuti expreſſam ſpeciem, ſive cognitionem, ita & ſpeciem impreſſam naturaliter efformare.

Dicendum ergo videtur, quod Angelus per factitias ideas, quas componendo, dividendo, ratiocinando ſibi valet acquirere, res ab intelligentia ſua diſtantes agnoſcat; cujuſmodi ea eſſe cenſemus, quæ ſejunguntur a loco, in quo manet Angelus, illa etiam, quæ naturæ vim ſuperant, & a Deo Angelis non revelantur. Idem pariter de poſſibilibus arbitramur, ac de pleriſque futuris, quorum impreſſam ſpeciem Angelus

lus a Deo non recipit. Idem denique dicimus de præteritis illis, quæ nunquam Angelus uti præſentia vidit; nam eorum, quæ ita ſemel novit, poteſt Angelus reminiſci abſque ratiocinationis auxilio, ſed advertendo dumtaxat ad ſpeciem, quæ jamdudum impreſſa poſt cognitionem in angelica mente remanſit.

Quod autem Angelis neganda non ſit ratiocinandi potentia, præterquam quod id ex ipſa intelligentiæ ejus finitate ac limitatione videtur evinci, docetur etiam a Ven. Scoto tum alibi, tum in 2. d. 5. q. 2. ubi ait: *Poſſet negari quod Angelus conſequatur omnem ſuam perfectionem naturalem ſine diſcurſu. Non eſt enim neceſſe, quod ſimul cognoſcat principium, & omnes concluſiones virtualiter contentas in principio: licet non ponat annum, vel diem, vel non tantum ſicut intellectus noſter, pro ſtatu iſto.*

Propoſitio 6. Non habet Angelus ſpecies eo in ſenſu univerſales, uti Thomiſtæ contendunt; quatenus nempe rationem communem ita repræſentent, ut clare etiam & diſtincte repræſentent plura, quæ ſub ea ratione continentur, & vel numero, vel ſpecie, vel genere ſunt diverſa.

Probatur. Ut aliquid clare ac diſtincte repræſentetur, oportet, ut omnes ac ſinguli characteres ejus, & gradus liquido exprimantur: atqui unica tantum ſpecies omnes ac ſingulos rerum plurium characteres nequit exprimere. Probatur minor. Individua præter ſpecificam naturam numericam, etiam diſcrimen includunt, quod illis intrinſecum eſt, & ab intrinſeco prædicato derivat: ea etiam, quæ ſpecie diſcrepant, diverſam eſſentialem, intimamque differentiam præter generis conceptum involvunt.

Et

Et ſane natura communis, ut humanitas, ſingulos homines *formaliter* non comprehendit; alius enim eſt ſpecificæ naturæ conceptus, alius eſt conceptus inferiorum; iſte multiplex eſt & proprius, ille unicus & communis. Neque continet *eminenter*; alioquin conceptus ille ſpecificus omnibus ſingulisque individuis humanæ naturæ perfectior eſſet; quod nemo merito dixerit. Ergo ſicuti ratio communis inferiora expreſſe non continet, ita neque ſpecies ulla taliter univerſalis dicenda eſt, ut clare ac diſtincte rationem communem ſimul & inferiora intellectui repræſentet: quot ergo erunt objecta, quæ clare diſtincteque cognoſcuntur ab Angelis, tot erunt & ſpecies, imagines ſcilicet objectorum.

At dices: Poſſunt ex uno principio plures concluſiones inferri; poteſt & una intelligendi facultas plures actus elicere: ergo poteſt pariter una ſpecies univerſalis objecta plura monſtrare.

Reſp., quod concluſiones in principio, & cognitiones in intellectu effective, ut ajunt, & virtualiter continentur; fieri autem poteſt, ut ex una cauſa multi oriantur effectus. At ſpecies eſt ipſamet imago objecti, cujus expreſſionem intrinſecus continet & formaliter: adeoque ex objectorum multitudine ſpecierum etiam multitudo rite colligitur.

Poſtremo nunc de Angelica locutione tractandum eſt. Et quidem quod Angeli ſuo modo loquantur, plures Scripturarum textus oſtendunt; legitur enim Iſaiæ c. 6. v. 3. quod Seraphim *clamabant alter ad alterum*, Simile quid habetur in epiſt. 1. ad Cor. c. 13. v. 1., & in epiſt. Judæ v. 9. Chryſoſtomus etiam in laudatum Pauli locum ait: *Linguam Angelorum*

hic

hic appellat, non corpus Angelis attribuens, ſed ejuſmodi eſt quod ait: Quamvis ita loquar, ut Angeli inter ſe colloquuntur.

Deinde ſocietas illa, quam Angeli componunt, ſine locutione eſſe non poteſt; per hanc enim cordium ſuorum ſecreta ſibi invicem illi communicant; nam quod ad rem præſentem attinet, loqui *idem eſt, quam verbum formatum*, ideſt internam cogitationem, *depromere*, *ſive exprimere*; inquit Seraph. Doctor in 2. d. 10. a. 3. q. 1.

Conſtat inſuper ex Scripturis, uti ex Zachariæ c. 1. v. 12., quod Angeli etiam cum Deo loquantur, non quia occultum ei aliquid manifeſtent; ſed quia ipſum pro nobis exorant, ejuſdemque excellentiam admirantur, & conſulunt voluntatem, quam cum Deus Angelis declarat, eoſdem alloquitur. Lege Gregorium M. in lib. 2. Mor. c. 5.

Licet autem certum ſit, Angelos inter ſe loqui, quando alter ad alterum cogitationem ſuam dirigit, eidemque revelat; incertus tamen modus ille eſt, quo ejuſcemodi directio peragatur. Probabiliter tamen aſſerimus cum Seraph. Doctore in 2. d. 10. a. 3. q. 1., quod ſecreta cogitatio per locutionem manifeſta tunc fiat, quando Angelus *ipſe cogitans aliquid tanquam audienti offerat, & ſe aperiendo, quaſi quodam nutu mediante, quod in ſe habet, ad intellectum alterius, quaſi ad aurem, pertingere faciat*. Quin tamen ſenſibilia ad id ſigna concurrant, uti cenſuit Durandus; *quia*, addit S. Bonaventura, *cum ipſe intellectus angelicus ſine potentiis ſenſitivis natus ſit ſuſcipere, Angelus loquens ſine ſenſibili medio natus eſt ſimiliter offerre; & ideo ad loquendum ſufficit ipſi Angelo ipſa ſpe-*

cies intelligibilis , quæ ex virtute intellectiva ipſius Angeli per vim voluntatis poteſt ad alterum protendi . Et ſicut illa ſpecies , dum eam ſibi & in ſe contuebatur intellectus , erat verbum interius ; ſic dum eam protendit ad alterum, efficitur quaſi nutus , & verbum exterius: & quia tam illa ſpecies , quam virtus protendens illam ad alterum , & ipſa protenſio ſpiritualis eſt : ideo non indiget corporali medio deferente .

Non ergo melius explicari poſſe videtur modus, quo inter ſe Angeli colloquuntur , quam ſi dixerimus, eos per ſpiritualia quædam ſigna nutuſque , qui humanæ menti nunc explorati eſſe non poſſunt , occultas animi cogitationes ſibi invicem aperire. Spiritualis namque operatio , ſi ex ſeſe occulta ſit , manifeſtari nequit alteri, niſi per ſigna quædam , quæ ſpiritualia erunt, ſi ſpiritus illam ſpiritui revelare voluerit. Unde S. Anſelmus in c. 13. epiſtolæ ad Cor. ait: *Linguæ, quibus Angeli loquuntur aliis , intelliguntur aliqui nutus , per quos intimant ſibi viciſſim quod voluerunt .*

Ex quo conſequitur etiam, quod dum excitatur mens Angeli audientis, aliquod mutationis genus in eo contingit ; niſi enim Angelus loquens quodammodo ad percipiendum moveat alterum, nunquam eveniet , ut audiatur ab illo. *Unde locutio*, ait S. Bonaventura laudato in loco, *ex parte loquentis non ponit , niſi excitationem activam ; ex parte audientis non niſi excitationem paſſivam .* Et quia dum Angelus libere per ſigna movet , poteſt unum movere , quin moveat alios ; idcirco poteſt , dum vult , unum alloqui , quin alios alloquatur . Atque ita expoſitus loquendi modus inter Angelos ,

aut

aut nihil, aut parum a Scotiſtarum opinione diſſentiet, uti notavit etiam P. Maſtrius in 2. diſp. 2. q. 9. a. 3., aliorumque Scholaſticorum placita, quæ a Berti & Gotti recenſentur, facile inter ſe conciliat, & conjungit.

Infertur tandem ex dictis, quod poſſit Angelus inferior alloqui ſuperiorem Angelum, licet eum illuminare non valeat. Locutio enim fit per liberi conceptus manifeſtationem; illuminatio vero præſefert inſuper *lumen ac ſcientiam affundere*; uti loquitur Damaſcenus in lib. 2. de fide c. 3. Et S. Bonaventura poſt laudata verba ſubjungit: *Ex hoc patet, quid ſit auditus Angeli, & quomodo differat audire, & videre: nam tam audire, quam videre eſt in Angelo intelligere: ſed tunc videt, cum ex proprio motu intelligit aliquid; tunc audit, quando per oblationem ſpeciei intelligibilis ab alio intelligente excitatus, ipſum, quod profertur, intelligit: & ſic competit Angelo non ſolum reſpectu ſuperioris, ſed etiam reſpectu paris, vel inferioris; quia ſic audit ſupremus Angelus ab infimo, ſicut Magiſter audire poteſt a diſcipulo, non quia ab eo ſuſcipiat doctrinam, ſive illuminationem, ſed quia melius cognoſcit ejus defectus per ſui ipſius perfectionem.*

CAPUT VI.

An Angeli cordium ſecreta cognoſcant?

SUperiori in capite de modo egimus, quo Angelica cognitio exercetur, nunc de ejuſdem cognitionis objecto remanet diſputandum. Circa quod primo dicendum occurrit, quod Angelus ſua virtute poſſit objecta illa percipere, quæ ſibi præſentia ſunt, & naturæ ordinem non tranſcendunt: ita poteſt Deum abſtractive, & ex creaturis agnoſcere; ſeipſum vero, & ſpirituales alias, corporeaſque ſubſtantias intuitiva etiam cognitione percipere; cum inter ejuſcemodi res, & Angelicum intellectum adæquata proportio evidenter appareat, nihilque impediat, ne Angelicæ mentis acies ex ſe ſe in objecta illa feratur.

At quæ ad gratiæ, vel gloriæ ordinem referuntur, quæque a libera Dei voluntate dependent; non poteſt Angelus per naturalem tantummodo intelligentiam contemplari; hæc enim omnia cum naturali cauſa, vel effectu, vel ſigno non neceſſario copulantur; & ideo naturaliter nequeunt a creata qualibet mente cognoſci. Huc revocandæ ſunt rationes, quibus in lib. 3. c. 3. & in lib. 7. c. 5. probavimus, quod per naturæ rationem non poſſit beatificæ viſionis poſſibilitas demonſtrari, & quod myſterium Trinitatis naturaliter cognoſci non poſſit.

His autem breviter adnotatis, de duobus quæ ab-

abſtruſiora videntur, inquirimus; an nempe Angeli cordium ſecreta ſcrutentur, & an futura prævideant? Et circa primum, de quo hoc in capite differemus, advertimus, ſecretum cordis deſignare internum ac liberum voluntatis actum, & actum etiam intellectus, prout iſte voluntatis imperio ſubeſt. Ejuſcemodi vero operationes a Deo tantum reipſa cognoſci, concors eſt Theologorum aſſertio contra Durandum, aliosque perpaucos, arbitrantes quod Deus quidem ſolus præterita & futura cordium ſecreta percipiat; præſentia autem non ipſe ſolus, ſed & Angelus per propriam virtutem intelligat.

In aſſignanda tamen ratione, cur ſecretorum cognitio Angelicæ naturæ non competat, plurimum inter ſe Theologi diſſident: nam, ut præcipuas Scholaſticorum opiniones breviter referamus, Scotiſtæ ſentiunt, Angelum ſufficienti virtute pollere, per quam valeat naturalia & præſentia cordium arcana cognoſcere; reipſa vero ea non noſſe, quia Deus id impedit Angelis generalem adimendo concurſum, ne inter intellectuales ſubſtantias magna confuſio oriatur, ſi quis Angelorum alterius Angeli, aut hominis ſecretos actus inſpiciat; ac præcipue ne nequam Angeli ejuſcemodi virtute in humani generis perniciem abutantur.

Sed Thomiſtæ naturalem virtutem illam in Angelis non admittunt, & ignorantiæ cauſam ex eo repetunt, quod Angeli naturaliter ea tantum intelligant, quæ ad Univerſi ordinem referuntur; cujuſmodi non eſſe dicunt liberos internoſque actus, qui a ſola elicientis voluntate dependent, & ad Deum, tanquam ad principale objectum finemque ultimum, ordinantur.

Affirmant alii, quod naturaliter Angeli occultos actus intueri quidem poſſint quoad ſubſtantiam, non vero quoad finem, vel intentionem, vel circumſtantias ſingulares, vel denique quoad reſpectum, per quem ad propria referuntur objecta; & ideo cordium ſecreta non norunt.

Alii tandem opinantur, quod idcirco nequeat Angelus abdita cordis alterius Angeli, & hominis intueri, quia rationalis voluntas tali eſt ditata dominio, ut ſicuti libere poteſt ſuos actus elicere, ita & eoſdem libere poſſit occultare, vel prodere; licet ut iidem Theologi ingenue confitentur, humana mens pro iſto mortalitatis ſtatu aperte non capiat, quidnam ſit ejuſcemodi virtus, & quomodo eam creata voluntas exerceat. Hanc & nos opinionem amplectimur, quam docuiſſe videtur Seraph. Doctor in 2. d. 8. p. 2. a. unico q. 7. Sit itaque Propoſitio. Angeli reipſa cordium ſecreta non noſcunt.

Probatur iis Scripturæ textibus, in quibus aſſeritur, cordium arcana ſoli Deo patere. Regum namque lib. 3. c. 8. v. 39. legitur: *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*. Quod repetitur etiam in 2. Paralip. c. 6. v. 30. Tum Jeremiæ c. 17. v. 10. habetur: *Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes*. Denique in 1. ad Cor. c. 2. v. 11. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?*

In his autem aliiſque hujuſcemodi textibus Scriptura generatim loquitur, adeoque generatim intellecta demonſtrat, quod nedum præterita & futura, ſed & præſentia cordis arcana Deus ſolus agnoſcat. Imo in citato textu Parali-

ralipomenon de cogitatione ac intentione præſenti eorum, qui Deum actu precantur, Salomon ait: *Propitiare, & redde unicuique ſecundum vias ſuas, quas noſti eum habere in corde ſuo: Tu enim ſolus noſti &c.* Quibus ſimilia leguntur etiam in contextu libri Regum, quem ſupra laudavimus. Ergo ſi ſolus Deus præſentia cordis ſecreta ſcrutatur, non ea Angeli reipſa cognoſcunt.

Sancti etiam Eccleſiæ Patres ex Scripturis oſtendunt, Chriſtum ex eo ſe Deum eſſe probaſſe, quod præſentes cordium cogitationes, & affectiones inſpiceret. Hieronymus enim in c. 17. Jeremiæ adducens illud Matth. 9. v. 4. *Cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum*; ait: *Si autem de Salvatore dicitur:* Videns autem cogitationes eorum Jeſus: *nulluſque poteſt videre cogitationes eorum, niſi ſolus Deus; ergo Chriſtus Deus eſt, qui ſcrutatur corda, & probat renes.*

Item Ambroſius in c. 5. Lucæ de Chriſto ait: *Dominus occultorum cognitione Deum ſe eſſe demonſtrat.* Et Auguſtinus ſerm. 91. alias 234. de tempore agens de præſenti intentione, qua S. Job eleemoſynas erogabat, ait: *Colebat Deum, faciebat eleemoſynas; & quo corde faciebat, nemo ſciebat, nec ipſe diabolus; ſed Deus noverat.*

Propoſitio 2. Angeli naturali virtute cordium arcana penetrare non poſſunt.

Probatur. Si enim Angelo ea virtus ineſſet, qua cogitatus abditos affectuſque naturaliter inveſtigare valeret; profecto Chriſtus divinitatem ſuam ex ſecretorum ſcientia efficaciter non probaſſet; uti docuiſſe Patres, ſuperius oſtenſum eſt.

Præterea ſi Scripturæ, & Patrum teſtimonia

conſiderentur attentius, certe patebit, quod idcirco ſolus Deus cordium ſecreta cognoſcat, quia hoc illi proprium eſt & naturale: eodem namque modo ſe retorum ſcientiam, ac ſcientiam contingentium futurorum ſoli Deo concedunt; ut nimirum evidenter oſtendant, quod ſicut Angeli naturali virtute careant ad cognoſcenda contingenter & libere futura, ut ſequente in capite demonſtrabimus; ita & eadem virtute careant ad cordium abdita penetranda. Lege Danielis c. 2. vv. 9. 10. 11. 22. 27. 28.

Deinde quemadmodum Deo tribuitur poteſtas cognoſcendi ſecreta cordium, ita de eiſdem etiam judicandi: lege Pſal. 7. Pſal. 40. Jer. c. 7., 1. Cor. c. 4. &c. Atqui Divinæ tantum naturæ competit ejuſcemodi judicandi poteſtas; ergo & poteſtas, qua valeat corda ſcrutari.

Tandem ſi vera foret adverſa ſententia, Angelos, ſaltem ſanctos, cordium abdita non laterent: perfectiſſimus enim beatitudinis ſtatus naturalem Angeli virtutem non imminuit, ſed perficit amplius, & accreſcit: at pœnale quodammodo eſt, ut alicui earum rerum cognitio denegetur, ad quam obtinendam naturali facultate, & inclinatione propendet. Quod autem Sancti quoque Angeli reipſa cordium arcana non penetrent, ex generalibus illis ſententiis, quas ſupra retulimus, & quæ ſoli Deo ſcientiam talem attribuunt, manifeſtiſſime comprobatur.

Non ergo probabilis eſſe videtur Theologorum illorum opinio, qui dixerunt, Angelos naturalem habere virtutem, qua reipſa cordium abſcondita aperto viderent intuitu, niſi Deus eis generalem concurſum pro ſuæ providentiæ diſpoſitione negaret. Nullam enim evidentem afferunt rationem, ut oſtendant, quod Deus,

qui

qui concurſum ſuum in alia qualibet operatione denegare non ſolet, hac tantum in re denegare decreverit, non malis dumtaxat Angelis, qui in apoſtaſiæ pœnam poſſunt aliqua naturali perfectione & actione privari; verum & bonis deneget, quorum naturalis conditio per beatificam viſionem non in deterius, ſed in melius immutatur, & a quibus mali aliquid timere nobis nec poſſumus, nec debemus.

Propoſitio 3. Ratio cur Angeli naturali virtute nequeant cordium ſecreta cognoſcere, aliunde ſumenda non eſſe videtur, quam ex eo quod voluntas ſecretum cordis eliciens tali dominio polleat, ut libere eundem actum vel aperiat, vel abſcondat.

Probatur. Hactenus oſtenſum eſt, quod Angeli neque reipſa cognoſcant, neque poſſint naturali virtute cordium ſecreta cognoſcere: atqui nequit id aliunde deſcendere, quam ex eo quod voluntas tali facultate ſit prædita, qua nedum actus ſuos libere edit, ſed & libere manifeſtat. Nam uti Seraphicus Doctor ait in 2. d. 8. p. 2. a. unico q. 6. „ Dicit Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam *lib.* 12. *c.* 17. quod ſicut „ ſubſtantiæ corporales habeant aliqua velamenta, quibus ſe alienis aſpectibus occultant; ſic „ & in his ſubſtantiis ſpiritualibus ſuo modo „ intelligendum eſt: hæc eſt verborum ſuorum „ ſententia.

„ Et ſi tu quæras, quomodo poteſt hoc eſſe „ vel intelligi, cum ſubſtantia ſpiritualis ſimplex ſit & uniformis per totum; & ita videtur, quod qui videt modicum, nihil latet, „ & cum uniformis ſit, non poteſt eſſe ibi aliquid occultans, & aliquid occultatum.

„ Dicendum quod obſtaculum illud non ha-

„ bet

„ bet intelligi per interpoſitionem alicujus na-
„ turæ opacæ, ſicut eſt in uſu noſtro corporeo,
„ vel obſcure vel minus clare: Sed ibi abſcon-
„ dere idem eſt, quod nolle manifeſtare. Et
„ licet non ſint ibi diverſitates plicarum ex
„ compoſitione diverſarum naturarum; ſunt
„ tamen in anima gradus potentiarum & ſta-
„ tuum, ſecundum quos quædam dicuntur eſſe
„ animæ magis intima; utpote quæ reſpiciunt
„ potentias ſuperiores, & ſimpliciores, ſive pu-
„ riores, ſecundum quas anima magis in ſeip-
„ ſa recolligitur, & ei, quod ſumme unum
„ eſt, unitur, & ſimplicificatur; & penes has
„ maxime reſidet conſcientiæ ſecretum.

Et profecto aptior hujuſce rei cauſa a mortali homine aſſuetoque ſenſibilibus ſolummodo rebus, afferri non poteſt. Non enim recte dicitur, quod Angeli cordium occulta non videant, quia ad Univerſi ordinem illa non ſpectent: nam ſicut ad Univerſi integritatem & ordinem tam naturales cauſæ, quam liberæ pertinent; ita ad Univerſitatis hujuſce feriem cujuſque generis actiones ſpectare dicendum eſt. Et licet in poteſtate voluntatis ſit actus ſuos eligere, dum tamen illi eliciti ſunt, ſicuti in hoc Univerſo exiſtunt, ita etiam ad Univerſum attinent, non ſecus ac actus alii naturales. Ergo niſi & illud adjunxeris, quod nempe tale tantumque dominium in eadem voluntate reſideat, quo actus ſuos pro arbitrio manifeſtet, nihil ea ratione conficies.

Neque dici recte poteſt, quod cordium ſecreta naturaliter non noſcantur, quia Deum pro principali objecto, & ultimo fine reſpiciunt: plures namque cogitationes affectioneſque non ita ſe habent; ſed diverſum, vel etiam averſum

ſum a Deo objectum finemque concernunt, & intra naturæ ordinem continentur; & tamen ab Angelo per naturalem virtutem videri non poſſunt.

Qui vero aſſerunt, quod poſſint quidem naturaliter Angeli ipſam in ſe cogitationem agnoſcere, non vero reſpectum ad objectum, finem, & circumſtantias; hi primo non tam facile ſententiam ſuam Peripateticis ſuadebunt, qui non prorſus male dicunt, cogitationem eſſe ipſam objecti vivam imaginem, ſimilitudinem, expreſſionem; quo plerique illud trahunt, quod ſcribit Auguſtinus in lib. 5. de Trin. c. 12. *A cognoſcente, & cognito paritur notitia.* Lege quæ diximus in lib. 3. c. 5. erga finem. Addunt inſuper Peripatetici, quod actus omnis a voluntate elicitus exprimatur poſtmodum in intellectu, ſicut enim *nihil volitum, quin præcognitum;* ita nihil omnino voluntas appetit, aut rejicit, quin id in poſteriori ſaltem ſigno intellectus advertat, exprimat, repræſentet: ergo jam Angelus naturaliter cordis arcana videret, ſi naturaliter ipſam in ſe cogitationem aſpiceret.

Deinde permiſſo etiam, quod cogitatio non ſit *formalis* expreſſio objecti, finis, intentionis, modificationum, ſingularium circumſtantiarum &c., & quod illa a ſubſtantia cogitante non ſit diſtincta realiter; cum tamen ſubſtantia cogitans ad hæc omnia, quæ non ſemper naturæ ordinem ſuperant, referatur; remaneret adhuc hujuſce ſententiæ Patronis oſtendendum, quidnam obſtaret, quin naturalis ille reſpectus, quem cogitatio diceret, intelligi non poſſet ab Angelo: cumque aliud illi reſpondere non poſſent, quam quod voluntas tali dominio gaudeat,

deat, ut ejuſcemodi reſpectum libere vel aperiat, vel abſcondat; jam profecto Theologi illi noſtram ſententiam tuebuntur.

Objicies 1. Joan. c. 13. v. 27. legitur, quod *poſt buccellam introivit in eum*, in Judam ſcilicet, *ſatanas*. Item Act. 5. v. 3. *dixit* Petrus: *Anania, cur tentavit*, ſive *implevit*, uti patet ex græco, *ſatanas cor tuum?* Ergo ſi diabolus poteſt in hominem introire, & cor ejus implere; poteſt etiam internas ejuſdem cogitationes, & intentiones aſpicere.

Denique Prov. 27. v. 19. dicitur. *Corda hominum manifeſta ſunt prudentibus*. Multo igitur magis nota poterunt eſſe Angelis, etiam malis, quorum ſumma ſagacitas eſt.

Reſp., quod ſolus Deus cor hominis intret & impleat, nedum quia intrinſecus hominem continet, juſtificat, & omne deſiderium ejus exſatiat; verum & quia occulta cordis ſolus ipſe ſcrutatur, intimaque virtute comprehendit; uti tum ex dictis apparet, tum ex Heb. c. 4. v. 12. & ex 1. Joan. c. 3. v. 20. Diabolus autem eo tantum in ſenſu hominum corda introire dicitur & implere, quatenus mala ſuggerit, & ſuggeſtioni ejus, quæ ſpirituum animalium motu, ſenſuumque affectione peragitur, incautus homo præſtat aſſenſum. Ita in Judam ſatanas introivit, quando, uti expreſſe habetur Jo. 13. v. 2. in cor ejus miſit, ut Dominum traderet: & cor Ananiæ replevit, quando illi ſuaſit, ut Spiritui Sancto mentiretur, & de agri pretio fraudaret.

Quod autem ex Proverbiis objectum eſt, non evincit, poſſe prudentes homines, & Angelos ea cogitata percipere, quæ nulla penitus ſui veſtigia in corpore imprimunt, nulliſque indiciis

ciis exterius innoteſcunt; ſed dumtaxat oſtendit, quod ſicuti homines per prudentiam & experientiam ex fronte, vultu, oculis, alioque ſenſibili motu aliorum hominum cogitatus affectuſque ſcrutantur; ita ac multo perfectius, idem de Angelis ſit dicendum. Et ideo ſcribit Auguſtinus in lib. de Divin. dæmonum c. 5. *Angeli omnium diſpoſitiones, non ſolum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt.*

Quod ut evidentius declaretur, advertimus, quod actus quidam externi ex ſe ſe ordinantur, ut internas liberaſque animi conceptiones oſtendant; uti ſunt voces, aliaque ejuſcemodi ſigna; & per actus iſtos poſſunt cordium ſecreta cognoſci. Alii vero externi actus ad exprimendum hunc aut illum animi motum ſunt penitus indifferentes; & per illos nequit certo cognoſci, quid determinate deliteſcat in corde. Unde Doctor Angelicus in q. 8. de veritate a. 13. inquit, quod dupliciter poſſint Angeli cogitationes cordis extra Verbum agnoſcere: *Uno modo, in quantum ex cogitatione actuali reſultat aliquis motus in corpore, dum aliquis gaudio, vel triſtitia afficitur ex his, quæ cogitat, & ſic cor quodammodo movetur; per hunc enim modum etiam Medici quandoque poſſunt paſſionem cordis cognoſcere. Alio modo in quantum ex actuali cogitatione aliquis meretur vel demeretur; & ſic mutatur quodammodo ſtatus agentis vel cogitantis in bonum, vel in malum: & hanc diſpoſitionem mutationum Angeli cognoſcunt, ſed tamen ex hoc non cognoſcitur cogitatio, niſi in generali. Ex multis enim, & diverſis cogitationibus, eodem modo aliquis meretur, vel demeretur, gaudet, vel triſtatur.* Ob-

Objicies 2. S. Gregorius in lib. 18. Mor. c. 27. num. 48. de hominibus in beatitudine reſurgentibus ait: *Et quoniam ipſa eorum claritas viciſſim ſibi in alterius cordibus patet, & cum uniuſcujuſque vultus attenditur, ſimul & conſcientia penetratur*. Atqui ſi homines poſt reſurrectionem vitæ cordium abdita penetrabunt, id etiam de ſanctis ſaltem Angelis nunc eſt dicendum, cum homines in reſurrectione *erunt ſicut Angeli Dei in cœlo*; Matth. 22. v. 30.

Reſp. cum S. Thoma in p. 1. q. 57. a. 4. ad 1. „ quod cogitatio unius hominis non cognoſcitur ab alio propter duplex impedimentum; ſcilicet propter groſſitiem corporis, & „ propter voluntatem claudentem ſua ſecreta, „ primum autem obſtaculum tolletur in reſurrectione, nec eſt in Angelis: ſed ſecundum „ impedimentum manebit poſt reſurrectionem, „ & eſt modo in Angelis: & tamen qualitatem mentis quantum ad quantitatem gratiæ „ & gloriæ, repræſentabit claritas corporis; & „ ſic unus mentem alterius videre poterit.

Ceterum Gregorii mens eſſe videtur, quod Beati ſibi invicem cordium abſtruſa revelent, uti domeſticos decet & amicos; quin tamen inde ſequatur, quod ſecretas animi cogitationes propria illi virtute cognoſcant, eas etiam, quæ aut libere occultantur, aut ad amicabilem beatitudinis ſtatum non pertinere noſcuntur. Quandoquidem dici poteſt, quod Beati omnes hanc habeant voluntatem, ut cogitationes ſuas ſibi invicem manifeſtent: qua de re clarius ſcribit Auguſtinus in ſerm. 243. alias de diverſis 6. c. 5. *Cogitationes, quas modo non videt, niſi Deus, omnes invicem videbunt in illa ſocietate Sanctorum. Nemo ibi vult tectum eſſe, quod cogi-*

cogitat, quia nemo ibi male cogitat.

Opponi hic etiam poſſunt Baſilii verba, qui in libro *de vera Virginitate* Virgini præcipit, ut Angelos vereatur, qui *etſi oculis carneis minime conſpicui ſunt, incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia & comprehendunt.*

At facili negotio reſpondetur, quod Baſilius vehementius ſit locutus, ut puellas ad caſtimoniam efficacius hortaretur; unde ejus ſententia ad id limitanda videtur, quod Angeli ex ſignis & effectibus latentes in animo cogitationes ſumma perſpicuitate cognoſcant. Accedit etiam, quod nos naturalem quidem illam, & univerſalem ſecretorum ſcientiam Angelis denegamus; libenter tamen admittimus, quod revelante Deo SS. Angeli plures hominum cogitationes & affectiones certo percipiant; quarum nempe cognitio ad ipſos ſpectat, vel quia nos cuſtodiunt, vel quia in auxilium invocantur, vel ex alia qualibet ratione. Hoc in ſenſu Baſilium fuiſſe locutum, clare deducitur ex contextu.

Objicies 3. cum P. Fraſſen in tract. de Angelis diſp. 2. a. 1. q. 3. „ Omne objectum actu „ intelligibile, & proportionatum, ac ſufficien- „ ter præſens intellectui Angelico, poteſt ab „ eo naturaliter percipi: Sed ſecreta cordium, „ & affectus mentis ſunt ejuſmodi: Ergo &c. „ Major eſt evidens. Minor probatur. Illud „ eſt actu intelligibile, & proportionatum in- „ tellectui Angelico, quod revera eſt exiſtens; „ omne enim ens reale eſt actu intelligibile, & „ continetur intra ordinem naturalem: Sed illi „ mentis affectus, ac ſecreta cordium ſuppo- „ nuntur actu exiſtere; ſunt etiam intra ordi- „ nem naturalem, non enim ſunt ſupernatura-

„ les

„ les actus, ut ſupponitur; adeoque proportio-
„ nantur intellectui Angelico.

Reſp., quod ad hoc, ut Angelus objectum aliquod ex ſeſe intelligere valeat, non tantum exigitur, ut eo in ſenſu ſit naturale, quia a creata virtute procedit, & intra naturæ ordinem concludatur; verum & ita, ut non ſit omnino liberum, & ſub pleno dominio voluntatis. Unde etſi aliqua cordium ſecreta actu ſupponantur exiſtere, & ad naturalem ordinem pertinere; a finita tamen mente actu non poſſunt intelligi, quia non talem proportionem includunt, qua certo & in ſeipſis ab Angelo cognoſcantur, niſi is, qui ſecreta illa libere elicit, libere etiam manifeſtet, & in ratione objecti præſentia reddat. Habet enim, uti ex ſupradictis evincitur, creata voluntas a Deo hujuſcemodi facultatem, qua ſicuti libere operatur, ita etiam quod operatur, arbitratu ſuo vel detegat, vel abſcondat. Nam ut citato in loco ait S. Bonaventura, *ſicut Deus voluntati creaturæ rationalis dedit dominium, ſive arbitrium, cui nulla potentia præſidet, niſi Divina; ſic ejus cognoſcitivæ* facultati *dedit conſcientiæ ſecretum; cujus ſecreta, & profunda non penetrat, niſi divina ſapientia*.

Erit ergo dicendum, quod ſicuti futura contingentia, quæ a naturali cauſa pendent, Angelus ſua virtute prævidere non poſſit; quia licet naturalia ſint, non ſunt tamen Angelicæ menti præſentia: ita neque poſſit cordium ſecreta cognoſcere, quia dum a voluntate eliciente celantur, in ratione objecti præſentia dici illa non poſſunt: proindeque ſicuti reſurrectio mortuorum eſt quidem quoad ſubſtantiam naturalis, ſupernaturalis autem quoad efficientiam & virtutem;

tutem ; ita & futura contingentia, cordiumque ſecreta, licet quoad ſubſtantiam pertineant ad naturam, quoad cognitionis tamen modum & certitudinem, naturæ totius facultatem excedunt.

At inſtabis cum P. Maſtrio in diſp. 2. de Angelis q. 8, a, 2. „ Iſta ſecreta ſunt naturali„ ter intelligibilia ab ipſo Angelo eliciente; „ ergo & a quolibet alio: ſiquidem omnis An„ gelicus intellectus intra ſuam ſphæram natu„ ralem omne intelligibile naturale concludit; „ quare quidquid eſt intelligibile ab uno, erit „ naturaliter a quolibet alio intelligibile, ſicut „ quod eſt naturaliter ab uno oculo viſibile, eſt „ etiam naturaliter viſibile ab alio.

Reſp., quod ideo Angelus ſecretum cordis eliciens, noſſe illud naturaliter poſſit, & non alius, quia ſub plena elicientis poteſtate manet, ut ea, quorum ſibi conſcius eſt, alteri obtegat, vel revelet; proindeque id quod dicitur; Omne ſcilicet intelligibile naturale ſub naturali Angelicæ mentis acie comprehendi; tunc dumtaxat veritatem obtinet, quando intelligibile naturale in ratione objecti eſt præſens: cujuſmodi ex dictis non ſunt futura pleraque naturalia, cordiumque ſecreta.

Quod ergo ſubjungitur; Quidquid eſt intelligibile ab uno &c., tunc verum eſt, quando ſub eadem conſideratione idem objectum accipitur; quod in re, de qua loquimur, non contingit: cordis namque ſecretum non eſt ſecretum relate ad elicientem, ſed relate dumtaxat ad alium, qui ad ejuſdem actus productionem libere non concurrit.

Ad id tandem, quod ex paritate oculi corporalis adjungitur, ex S. Bonaventura in laudato loco reponimus, quod *oculus unus corporalis vi*-

det quidquid videt alius, ſi objectum ſit utrique revelatum: ſi autem uni aperitur, & alteri tegitur, unus poteſt videre, quod non videt alius. Quia ergo nullus ſe ſibi nec vult, nec poteſt velare, quia ſibi ſemper præſens eſt; ideo oculum proprium, ſi quid in ſe eſt, non poteſt latere; alienum vero oculum poteſt ſubterfugere, & ſe illi revelare, quoniam non eſt ipſi præſens, nec ſuper eum potens: & ideo omnem oculum ſpiritualem poteſt conſcientia noſtra latere; excepto ſe, & illo, qui eſt ſupra ſe, Deo videlicet.

Sed urget citato in loco Maſtrius: Quilibet Angelus naturaliter intuetur ſubſtantiam alterius, proprietateſque ejus naturales: ergo etiam cogitationes, & volitiones ejuſdem. Conſequentia patet; quia ſi poteſt naturaliter intueri principium, poterit pariter intueri effectus in tali principio contentos.

Reſp. ex Seraph. Doctore loco quem ſupra citavimus, *quod hoc locum habet in operatione naturali, non in operatione voluntaria. Operatio enim naturalis, ſecundum quod naturalis eſt, ita ſe naturaliter nata eſt repræſentare, nec ſe occultare poteſt, ſicut nec ſubſtantia; immo per ipſam manifeſtatur ſubſtantia, dum plus habet de ratione actualitatis, ac per hoc manifeſtationis, & lucis. In operatione autem voluntaria ſecus eſt. Nam cum ſubſtantia ſe naturaliter repræſentet, ſicut naturaliter eſt, ſic ſe occultare non poteſt. Operatio voluntaria ſicut voluntarie exit in eſſe, ita & voluntarie manifeſtatur, & ita occultari poteſt: immo non manifeſtatur, niſi homo velit: talia autem ſunt, quæ latent in ſecreto conſcientiæ noſtræ.*

Dices denique cum Eodem: „ Cur ſi An„ geli cognoſcunt actus internos partis ſenſiti-

„ væ

„ væ hominis, ſcilicet actus phantaſiæ, & a-
„ ctus appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis,
„ ut communiter Theologi tenent; non item
„ cognoſcunt actus voluntatis internos? Si enim
„ reddatur pro cauſa, quia illi ſunt actus ne-
„ ceſſarii, iſti vero liberi; quis non videt ma-
„ nifeſte principium peti? Hoc enim eſt quod
„ negamus, dominium reddere incognoſcibiles
„ actus iſtos, cum eos non extrahat ad ordi-
„ nem entium ſupernaturalium.

Reſp., quod phantaſiæ, & ſenſitivi appetitus operationes non ſine ſpirituum animalium, nervorumque motione contingant; adeoque non ſine naturali ac corporeo ſigno ſenſibiliter perficiuntur, quo dignoſci ab Angelo poteſt quid in parte ſenſitiva verſetur. At hujuſmodi profecto non ſunt interiores ſpirituales ac liberi voluntatis actus, & actus etiam intellectus, prout hi libero diriguntur arbitrio nulloque certo indicio exterius innoteſcunt. Uti enim ſupra ex Seraph. Doctore notavimus, *ſunt in anima gradus potentiarum, & ſtatuum, ſecundum quos quædam dicuntur eſſe animæ magis intima; utpote quæ reſpiciunt potentias ſuperiores, & ſimpliciores, ſive puriores, ſecundum quas anima magis in ſeipſa recolligitur*. Lege etiam quæ in reſponſione ad 1. argumentum adduximus.

Notat inſuper hac in re S. Thomas in p. 1. q. 57. a. 4. ad 3., *non oportere, quod Angeli cognoſcant motum appetitus ſenſitivi, & apprehenſionem phantaſticam hominis, ſecundum quod moventur a voluntate & ratione; quia etiam inferior pars animæ participat aliqualiter rationem, ſicut obediens imperanti, ut dicitur in 1. Ethic. c. ultimo. Nec tamen ſequitur, ſi Angelus cognoſcit quod eſt in appetitu ſenſitivo, vel*

phantaſia hominis, quod cognoſcat id quod eſt in cogitatione vel voluntate, quia intellectus & voluntas non ſubjacent appetitui ſenſitivo & phantaſiæ, ſed poteſt eis diverſimode uti.

Denique cum ex propoſitione 2. jam pateat, Angelos naturali virtute carere, qua cordium profunda ſcrutentur; cumque ex dictis in propoſitione 3. hujuſce impoſſibilitatis origo aliunde repetenda non ſit, quam ex eo, quod voluntas amplo dominio gaudeat, tum ut actus ſuos eliciat, tum ut eoſdem aperiat, vel occultet; immerito prorſus a tanto Theologo dicitur, quod principium nulla ſuffulti ratione petamus.

CAPUT VII.

An Angeli cujuslibet generis futura prævideant?

MUltiplex futurorum genus admittendum eſſe, nemo unus ignorat. Alia enim neceſſaria ex eo dicuntur, quia ex neceſſaria aliqua cauſa immediate proveniunt; cujuſmodi præcipue ſunt Siderum periodici motus, Lunæ & Solis eclypſes &c. Alia inſuper contingentia ſunt, non tamen libera; ex naturalibus enim cauſis ita dimanant, ut ob diverſum earundem concurſum effectus non neceſſario, ſed contingenter eveniat, & *fortuitus* appelletur: ejuſcemodi ſunt pluviæ, venti, morbi &c. Alia tandem libera nuncupantur, quia a libera profluunt voluntate, quamvis aliquando concurſum etiam naturalis cauſæ non excludant: ita ſunt bona & mala hominum opera, privati quoque mores, & bella &c., quæ ita a voluntatis arbitrio manant, ut a Cœli etiam temperie, corporum conſtitutione, aliiſque naturalibus cauſis occaſionem accipiant.

Et primi quidem generis futura naturaliter ab Angelo per certam ſcientiam prævidentur: habet enim ille univerſalem naturalium cauſarum cognitionem, qua perfectiſſime proſpicit etiam effectus cum cauſis illis certa lege connexos. Quia tamen Deus aliquando naturæ leges immutat, uti tum alias, tum tempore Joſue contigiſſe narratur in ejus libro c. 10. v.

13., quando *ſtetit Sol in medio cœli*, *& non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei*; & quando Dan. c. 3. v. 24. tres pueri *ambulabant in medio flammæ laudantes Deum*: idcirco abſoluta penitus, & infallibili certitudine futuros ejuſcemodi eventus nequit Angelus prævidere. Ut autem de futuris aliis prolixius diſſeramus, ſit

Propoſitio. Futura quæcunque contingentia Angelus ſua virtute certo prævidere non poteſt.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ aperte demonſtrant, certam futurorum ſcientiam ad Divinam dumtaxat pertinere naturam. Ita Iſaiæ c. 41. v. 23. dicit Dominus: *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos*. Similia habentur etiam in ejuſdem libri c. 19. v. 12., & c. 46. vv. 9. & 10. Daniel item c. 2. v. 28. poſtquam aſſeruit, quod Sapientes, Magi, Arioli, & Aruſpices non poterant Regi indicare futura, quæ viſum ab eo ſommium portendebat, adjunxit: *Sed eſt Deus in cœlo revelans myſteria, qui indicavit tibi rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in noviſſimis temporibus*.

Probatur 2. ex Patribus. Hieronymus in laudatum caput Danielis ita hunc Prophetam Regi loquentem inducit: *Fruſtra igitur ab hominibus quæris in terra, quod Deus ſolus novit in cœlo*. Et Chryſoſtomus hom. 18. in Joan. ait: *Prædictio futurorum immortalis Dei dumtaxat opus eſt*. Item Hilarius in lib. 9. *Quid eſt tam proprium Deo, quam futurorum cognitio?* Denique Cyrillus lib. 4. in Joan. *Nulli alii quam uni ac ſoli naturali Deo futura noſſe convenit*. Conſentiunt alii prorſus omnes, ac præſertim Auguſtinus in lib. 9. de C. D. c. 22. &

Da-

Damaſcenus in lib. 2. de Fide c. 4.

Probatur 3. ex ratione. Futura quælibet contingentia, ſive a libera voluntate procedant, ſive a fortuito varioque naturalium cauſarum concurſu dependeant, in ſeipſis certo cognoſci non poſſunt ab Angelis; non enim determinata intrinſecus ſunt, ſed a divino decreto, quod Angeli nativa virtute non noſcunt, ad exiſtentiam ordinantur. Neque præſciri certo poſſunt in cauſis ſuis; aut enim a libero prorſus, & indifferente voluntatis arbitrio profluunt; aut licet a naturalibus cauſis oriantur, cum tamen illarum ſeries non neceſſario & naturaliter ordinetur, & Deus ad oſtenſionem ſuæ miſericordiæ, vel juſtitiæ contingentem earundem diſpoſitionem non ſemel impediat; quod ſuo etiam modo præſtare poſſunt naturales ac liberæ creaturæ: idcirco neque in ſuis cauſis poſſunt certo prænoſci; cum in objecto, ac *medio*, quod ad utramque contradictionis partem contingens eſt, ac prorſus indifferens, nihil certum ratumque monſtretur.

Dicendum itaque eſt, quod Angelus ex ſeſe certo non præſciat futura contingentia, quæ vere contingentia ſunt, & a proximis cauſis contingenter eveniunt; licet ea quandoque per conjecturam in aliqua diſpoſitione prævideat, eoque probabilius, quo majus eſt Angelicæ mentis acumen, & præviæ diſpoſitionis congruentia, cujus reſpectu effectus illi frequentius ſolent in rerum natura contingere. Unde non eſt negandum, quod multa reſpectu cognitionis noſtræ ſint contigentia futura, quæ reſpectu cognitionis Angelicæ determinata quodammodo ſint & certa; ſicuti aliquando eſt mors hominis neceſſario ſecutura ex morbo jam præſente, quem

Angelus ſcire poteſt eſſe lethalem, dum Medicus id ignorat; ſicut etiam quandoque eſt annonæ vilitas, aut caritas ex certis cauſis, quas homo noſſe non poteſt.

Dices 1. Futura quæcunque contingentia determinatam continent veritatem; eorum inſuper plura ad ordinem pertinent naturalem: ergo iſta ſaltem poteſt Angelus naturali intelligentia prævidere.

Reſp., diſt. antecedens, ex ſeipſis habent determinatam veritatem, nego; ex libera Dei voluntate, concedo. Futura, quæ vere contingentia ſunt, & ea præſertim, quæ a libero dependent arbitrio, a cauſis ad utramque partem indifferentibus oriuntur; & ideo neque intrinſecus in ſeipſis, neque in proximis ſuis cauſis determinata veritate ſunt prædita, licet eorum pleraque naturæ vires, & ordinem non excedant. Ergo ſola Dei voluntas ejuſcemodi futura decrevit; proindeque, ut certo Angeli futura illa præноſcerent, Dei decreta inveſtigare deberent; quod cuilibet creatæ menti repugnare perſpicuum eſt.

Dices 2. Aſtra in hominum actiones, omneſque contingentes eventus uti cauſæ influunt, vel ſaltem eos uti ſigna præmonſtrant. Legitur enim Geneſeos c. 1. v. 14. dixiſſe Deum: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos*. Hinc & Aſtrologi ex Siderum poſitione non raro veriſſima prædixerunt: cum itaque Angelorum intelligentia ſit humana qualibet longe perfectior, poſſunt hi ex aſtrorum motu futura quæcunque certiſſime prævidere.

Reſp., quod aſtra ſint tantummodo ſigna quorundam futurorum, quæ neceſſario accidunt; ſicuti

cuti in citato textu Geneſeos Sol & Luna dicuntur ſigna dierum, menſium, annorum, veris, æſtatis, hiemis, & autumni, aliorumque hujuſcemodi temporum. Lege Eccli c. 43.

Ceterum etſi dare vellemus, quod aſtra in ſublunares effectus omnes influerent; cum tamen univerſales cauſæ eſſent, poſſent illa non tantum a Deo, ſed ab aliis etiam ignotis cauſis impediri. Et humana præſertim anima, cum agens ſit ſpirituale ac liberum, ab agente naturali & corporeo, cujuſmodi aſtra ſunt omnia, nequit ad unum neceſſario determinari.

Ex aſtrorum igitur ſcientia neque homines, neque Angeli certo valent contingentia futura præſcire. Quapropter Aſtrologorum vanitatem Patres ſæpiſſime carpunt, quos inter Baſilius hom. 6. in Hexam. Auguſtinus lib. 2. de Gen. ad lit. c. 14. Gregorius hom. 10. in Evangelia. Legenda inſuper eſt Bulla Sixti V. edita anno 1585., in qua docte graviterque Sapientiſſimus Pontifex inanem Aſtrologorum fallaciam inſectatur, & damnat.

Dices 3. Scribit Auguſtinus in lib. 12. de Gen. ad lit. c. 13., *animam humanam habere vim quamdam divinationis in ſeipſa*. Affirmat etiam Gregorius M. in lib. 4. Dialogorum c. 26. quod *ipſa aliquando animarum vis ſubtilitate ſua aliquid prævidet*. Dicendum igitur eſſe videtur, quod multo certius Angeli poſſint futura prænoſcere.

Reſp. cum S. Thoma in 2. 2. q. 172. a. 1. ad 1. „ quod anima quando abſtrahitur a corporalibus, aptior redditur ad percipiendum „ influxum ſpiritualium ſubſtantiarum, & etiam ad percipiendum ſubtiles motus, qui „ ex impreſſionibus naturalium cauſarum in „ ima-

„ imaginatione humana relinquuntur, a qui-
„ bus percipiendis anima impeditur, cum fue-
„ rit circa ſenſibilia occupata. Et ideo Gre-
„ gorius dicit, quod anima quando appropin-
„ quat ad mortem, præcognoſcit quædam fu-
„ tura ſubtilitate ſuæ naturæ, prout ſcilicet
„ percipit etiam modicas impreſſiones, aut et-
„ iam cognoſcit futura, revelatione Angelica,
„ non autem propria virtute; quia ut Augu-
„ ſtinus dicit 12.. ſuper Gen. ad lit. ſi hoc
„ eſſet, tunc haberet quandocunque vellet in
„ ſua poteſtate futura præcognoſcere; quod pa-
„ tet eſſe falſum „. Ex contextu præterea patet, quod Auguſtinus non in ſua, ſed aliorum opinione loquatur, & non definiendo, ſed dubitando ſic ſcribat: *Nonnulli quidem volunt, animam humanam habere vim quandam divinationis in ſeipſa. Sed ſi ita eſt, cur non ſemper poteſt, cum ſemper velit? An quia &c.*

Quod ſi demum objeceris, nedum bonos, ſed & malos Angelos ſæpe cujuslibet generis prædixiſſe futura, reſponſum ex Damaſceno reddemus in lib. 2. de fide c. 3. *Futura quidem, tametſi nec Dei Angeli, nec dæmones novèrint, utrique tamen prædicunt, ſed diſpari modo. Angeli enim futuros eventus non aliter prædicunt, quam Deo ipſis quæ futura ſunt detegente, quo fit, ut ea omnia eveniant, quæ ab ipſis prædicuntur. Dæmones autem ipſi quoque prædicunt, interdum videlicet, quia ea quæ procul geruntur, cernunt: interdum ſola conjectura ducti; ex quo etiam efficitur, ut plerumque mentiantur.*

Ut tandem ea quæ hactenus dicta ſunt, evidentius exponantur, ac validius confirmentur, ſubjungenda hic eſſe cenſemus quæ Doctor Anlicus habet in quæſt. 8. de Veritate a. 12. *Num*

An-

Angeli cognoſcant futura? „ Quidam effectus “, ait S. Thomas, „ futuri ſunt, quorum cauſæ „ indifferenter ſe habent ad utrumque; hæc au„ tem vocantur contingentia ad utrumlibet, ut „ ſunt illa præcipue, quæ pendent ex libero ar„ bitrio. Sed quia ex cauſa ad utrumlibet, cum „ ſit quaſi in potentia, non progreditur aliquis „ effectus, niſi per aliquam cauſam determine„ tur magis ad unum, quam ad aliud, ut pro„ bat Com. in 2. Phyſ., ideo hujuſmodi effe„ ctus in cauſis quidem ad utrumlibet nullo „ modo cognoſci poſſunt per ſe acceptis; ſed „ ſi adjungantur cauſæ illæ, quæ cauſas ad „ utrumlibet inclinant magis ad unum, quam „ ad aliud, poteſt aliqua certitudo conjectura„ lis de effectibus prædictis haberi; ſicut de „ his, quæ ex libero arbitrio dependent, aliqua „ futura conjicimus ex conſuetudinibus, & com„ plexionibus hominum, quibus inclinantur ad „ unum.

CA-

CAPUT VIII.

In quo breviſſime de Angelorum voluntate & amore tractatur.

QUod Angeli voluntate ſint præditi, exploratiſſima veritas eſt ex eo deſcendens, quod ſpiritualis ſubſtantia ſicuti bonum & malum poteſt intellectu cognoſcere; ita etiam voluntate illud amare valet, & iſtud odiſſe. Qua pariter evidenti ratione probatur, quod Angeli libertatis arbitrio polleant: unde S. Thomas in p. 1. q. 59. a. 3. ſcribit: *Id quod habet intellectum, poteſt agere judicio libero, inquantum cognoſcit univerſalem rationem boni, ex qua poteſt judicare, hoc vel illud eſſe bonum: unde ubicumque eſt intellectus, ibi eſt liberum arbitrium. Et ſic patet, liberum arbitrium eſſe in Angelis etiam excellentius, quam in hominibus, ſicut & intellectum.* Lege Seraphicum etiam Doctorem in 2. d. 25. p. 1. a. unico q. 1.

Scripturæ præterea ſæpiſſime conteſtantur, quod Angeli ſint præcepti capaces, quod mereri poſſint & demereri, quod denique præmium, vel pœnam pro factorum qualitate recipiant: ita conſtat ex Pſalmo 90. v. 11. ex Matth. 18. v. 10. ex Joan. 8. v. 44. ex 2. Petri 2. v. 4. &c. Quæ profecto voluntatem libero ditatam arbitrio in Angelis eſſe convincunt. Hic inſuper recolenda eſſe monemus, quæ de diverſo libertatis genere diximus in lib. 5. c. 1.

Quærunt Theologi, an Angelica voluntas ne-

nedum libere eligat, verum & poſt electionem libere poſſit ſuum revocare propoſitum? Thomiſtæ paſſim affirmant, naturam Angelicam talis eſſe conditionis, ut antequam bono vel malo adhæreat, ad utrumque ſit libera, at poſtquam adhæſerit, ad alterutrum ſit immobiliter determinata; proindeque SS. Angeli confirmati ſint in juſtitia, quia illam ab initio elegerunt; mali vero ſemel peccantes, in culpa ſint immutabiliter obſtinati. Ita docuiſſe videtur etiam Doctor Angelicus in p, 1. q. 64. a. 2. & in q. 16. de malo a. 5., quamvis P. Berti in lib. 10. c. 13, aliique nonnulli, non ita illum ſenſiſſe contendant.

Propoſitio. Angelica voluntas non eo in ſenſu immutabilis dicenda eſt, ut poſt electionem nequeat ſuam retractare ſententiam.

Probatur. Angelorum voluntas reipſa mutata eſt; nam qui peccando Deum oderunt, antea illum amore ſunt proſecuti. In dies etiam immutatur; cum diabolus modo Juſtos tentare velit, ut cadant; modo hoc ipſum nolit, ne majoris meriti occaſionem tentando ſuppeditet. Bonos quoque Angelos ſuum aliquando revocare propoſitum, dum non adhuc ipſis abſoluta Dei voluntas apparet, oppoſitæque ſimul rationes occurrunt, ex eo diſſidio patet, quod legitur Dan, c. 10. v. 13,

Ad hæc, Angelus libere eligit; ergo libere etiam poſt electionem poteſt mutare conſilium: nihil enim eſt, quod ipſum cogat, ut immobilis in priori electione perſiſtat. Etſi enim eadem objecti cognitio manere dicatur; hæc tamen ſicuti ante electionem voluntatis indifferentiam non lædebat, ita neque lædit electione peracta: nam ſive ſimplex objecti propoſi-

tio ad movendam voluntatem ſola ſufficiat, ſive inſuper practicum intellectus judicium requiratur; ſemper voluntas ſui actus eſt domina, & ad partem alteram cogi omnino non poteſt.

Eſt igitur Angelus, inquit Damaſcenus in lib. 2. de fide c. 3., *natura rationalis, intelligens, libera, vertibilis ſecundum ſententiam, ſive voluntate mutabilis. Quidquid enim creatum eſt, mutationi ſubſit, neceſſe eſt.*

Tandem ſi Angelorum voluntas poſtquam elegerit, ex ſui natura mutari non poſſet; ſane SS. Eccleſiæ Patres ex ea ratione repeterent, cur electi Angeli in bono ſint ſtabiles, & reprobi in malo ſint inflexibiliter obſtinati: atqui Patres non niſi divinæ gratiæ SS. Angelorum immutabilitatem attribuunt, quemadmodum & malorum immutabilitatem ex divina deſertione deducunt. Magnus enim Auguſtinus in lib. 22. de C. D. c. 1. ſcribit: *Caſum Angelorum voluntarium juſtiſſima pœna ſempiternæ infelicitatis* Deus *obſtrinxit: atque in eo ſummo bono permanentibus ceteris, ut de ſua ſine fine permanſione certi eſſent, tanquam ipſius præmium permanſionis dedit.*

Fulgentius etiam in libro de fide ad Petrum c. 23. inquit: *Hoc ipſum, quod ab illo ſtatu beatitudinis, in quo ſunt, mutari in deterius nullatenus poſſunt, non eſt eis naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt, gratiæ divinæ largitate collatum.*

Denique Iſidorus in lib. 1. de ſummo Bono c. 12. ait: *Gratia dicimus, non natura, eſſe immutabiles Angelos: nam ſi natura immutabiles eſſent, diabolus non utique cecidiſſet.* Concordant & Patres alii, Proſper præſertim in lib. 1. de vita contempl. c. 3. nec non Damaſcenus in libro ſuperius laudato.

Nec

Nec ipſa igitur immutabilitas, qua Angeli ultimum finem terminumque reſpiciunt, ab intrinſeco provenit, ſed extrinſeca prorſus eſt; & in Beatis quidem ex eo dimanat, quod Deum clare videant, in damnatis autem ex denegata gratia oritur, ſine qua reſipiſcere nequeunt, ſuamque retractare malitiam; cum non amplius in via ſint, ſed in termino conſtituti. Hæc vero omnia, ſi præ oculis habeantur, ſcrupuli, quos Thomiſtæ objectare ſolent, facili negotio eximuntur.

Ex dictis eruitur, quod amor ſit admittendus in Angelis, quo eorum voluntas in bonum quodam veluti pondere inclinatur, & fertur. Hac autem in re Theologi conſueverunt inquirere, an Angelus naturali amore Deum plus diligat, quam ſeipſum? Ad quod unanimi conſenſione affirmative reſpondent. Sunt enim Angeli hujuſce Univerſitatis partes, & membra; adeoque ex ſui natura Deum magis amant, qui eſt commune bonum Univerſi, quam ſeipſos, qui bonitatem ſuam omnem ab illo participant. *Quia igitur*, ait S. Thomas in p. 1. q. 60. a. 5., *bonum univerſale eſt ipſe Deus, & ſub bono continetur etiam Angelus & homo, & omnis creatura, quia omnis creatura naturaliter ſecundum id quod eſt, Dei eſt; ſequitur, quod naturali dilectione etiam Angelus & homo plus, & principalius diligat Deum, quam ſeipſum; alioquin ſi naturaliter plus ſeipſum diligeret, quam Deum, ſequeretur, quod naturalis dilectio eſſet perverſa; & quod non perficeretur per charitatem, ſed deſtrueretur.*

At dices 1. Dilectio recta non dicitur, niſi ex charitate procedat: Amor quo Angelus Deum plus quam ſeipſum, & ſuper omnia diligit,

ligit, rectus eſt. Ergo non a natura, ſed a charitate derivat.

Reſp. ex S. Thoma in citato articulo ad 4. „ quod Deus ſecundum quod eſt univerſale bo„ num, a quo dependet omne bonum naturale, „ diligitur naturali dilectione ab unoquoque. „ In quantum vero eſt bonum beatificans uni„ verſaliter omnes ſupernaturali beatitudine, „ ſic diligitur dilectione charitatis.

In eadem etiam quæſt. a. 1. ad 3. hæc habet: „ Sicut cognitio naturalis ſemper eſt vera, „ ita dilectio naturalis ſemper eſt recta; cum „ amor naturalis nihil aliud ſit, quam inclina„ tio naturæ indita ab Auctore naturæ. Dice„ re ergo quod inclinatio naturæ non ſit recta, „ eſt derogare Auctori naturæ. Alia autem eſt „ rectitudo naturalis dilectionis; & alia eſt re„ ctitudo charitatis & virtutis; quia una recti„ tudo eſt perfectiva alterius: ſicut etiam alia „ eſt veritas naturalis cognitionis, & alia eſt „ veritas cognitionis infuſæ, vel acquiſitæ. "
Non igitur ex argumento deducitur, quod naturalis Angelorum dilectio ex ſeſe recta non ſit; ſed quod per eminentiorem charitatis rectitudinem perficienda ſit, ut illi condigno amore Auctorem ſupernaturalis beatitudinis proſequantur.

Dices 2. Dilectio naturalis ſemper manet, manente natura; atqui actus ille, quo quis Deum plus diligit quam ſeipſum, in Angelo, vel homine peccatore non manet. *Fecerunt*, inquit Auguſtinus in lib. 14. de C. D. c. ult., *Civitates duas amores duo; terrenam ſcilicet, amor ſui uſque ad contemptum Dei; cæleſtem vero, amor Dei uſque ad contemptum ſui*. Non ergo naturalis dicendus eſt actus ille, quo Deus ſuper omnia diligitur. Re-

Reſpondet Doctor Angelicus in citatæ quæſt.
a. 5. ad 5. „ quod cum in Deo ſit unum, &
„ idem ejus ſubſtantia & bonum commune, om-
„ nes qui vident ipſam Dei eſſentiam , eodem
„ motu dilectionis moventur in ipſam Dei eſ-
„ ſentiam, prout eſt ab aliis diſtincta, & ſe-
„ cundum quod eſt quoddam bonum commu-
„ ne. Et quia in quantum eſt bonum com-
„ mune, naturaliter amatur ab omnibus; qui-
„ cunque videt eum per eſſentiam , impoſſibi-
„ le eſt, quin diligat ipſum. Sed illi, qui non
„ vident eſſentiam ejus , cognoſcunt eum per
„ aliquos particulares effectus, qui interdum
„ eorum voluntati contrariantur: & ſic hoc
„ modo dicuntur odio habere Deum; cum ta-
„ men in quantum eſt bonum commune om-
„ nium, unumquodque naturaliter diligat plus
„ Deum, quam ſeipſum. " Hic conſulenda ſunt
etiam, quæ de naturali Angelorum dilectione
Seraph. Doctor ait in 2. d. 3. p. 2. a, 3. qq.
1. & 2.

CAPUT IX.

Ubi de Angelorum loco motuque diſſeritur.

PLura quondam, nimiumque longa diſputatione veteres Scholæ Theologi de Angelorum loco, & motu ſcripſerunt: nos autem pro inſtituti noſtri ratione ad compendium omnia conferentes, hiſce de rebus breviter diſſeremus. Sit igitur

Propoſitio 1. Pro certo dicendum eſt, Angelos definitum locum aliquem occupare.

Probatur. Et Scriptura quidem id frequenter oſtendit: legitur enim Matth. c. 28. v. 2. *Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens revolvit lapidem &c.* Et Lucæ 2. v. 15. *Diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum.* Petrus etiam in epiſt. 2. c. 2. v. 4. teſtatur, quod *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Alii denique textus adduci poſſent, in quibus evidenter aſſeritur, quod Angeli de uno loco in alium moveantur, mittantur ad homines, Cœlum inhabitent, ſub caligine reſerventur &c. ex quibus eruitur, Angelos in loco, & quidem determinato finitoque manere.

Hoc idem confirmatur ex Patribus. Nam Athanaſius in epiſt. 1. ad Serapionem n. 26. ſcribit, quod *Angeli illic tantum adſunt, quo mittuntur.* Item Ambroſius in lib. 1. de Spiritu S. c. 10. inquit: *Seraphim de loco ad locum tran-*

tranſit ; non enim complet omnia. Hiſce conſentiunt Nyſſenus in Orat. de infantibus, Auguſtinus de Agone Chriſt. c. 3., Gregorius lib. 3. Mor. c. 2., aliique ad unum omnes.

Suffragatur & ratio : ſiquidem ſubſtantia Angeli eſt finita ; non ergo ubique diffunditur, ſed definito in loco tenetur. *Circumſcripti ſunt*, inquit Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. c. 3., *nec enim cum in cœlo ſunt, in terra verſantur; nec cum a Deo in terram mittuntur, remanent in cœlo*.

Ergo dum Auguſtinus in lib. 8. de Gen. ad lit. c. 19. Nyſſenus in 1. contra Eunomium, aliique Patres affirmant, Angelos in loco non eſſe ; non definitivam præſentiam, ſed circumſcriptivam dumtaxat excludunt, quæ corporeæ competit extenſioni. Legendus hac de re eſt Seraph. Doctor in 2. d. 2. p. 2. a. 2. q. 1.

Sed ſatis ſuperque de perſpicua propoſitione tractavimus : inquirendum vero nunc reſtat, quænam ratio illa ſit, per quam veluti per proximum, ut inquiunt, fundamentum Angelus conſtituatur in loco. Contendunt namque Scotiſtæ, id eſſe munus ipſius Angelicæ ſubſtantiæ, quæ per ſe fiat præſens loco, quem occupat. Thomiſtæ autem opinantur, Angelum per operationem & applicationem virtutis ſuæ in loco conſtitui. Quid nobis probabilius videatur, ſequens aperiet.

Propoſitio 2. Fundamentalis ratio, qua proxime Angelus in loco ſtatuitur, non ab ejus operatione, ſed a ſubſtantia videtur eſſe promenda. Ita cum Scotiſtis ſentiunt Nominales, aliique nonnulli.

Probatur. Res prius eſſe, quam operari concipitur ; operari enim, uti Scholæ loquuntur,

ſequitur eſſe: ergo operari in aliquo loco ſequitur eſſe in eodem loco: ergo prius Angelus per ſuam eſſentiam, ſive ſubſtantiam ſit loco præſens, quam operetur in illo. Hinc in Scripturis Angeli prius ad locum acceſſiſſe dicuntur, quam in eo quidpiam fuerint operati. *Et accedens tentator dixit ei:* Matth. 4. v. 3. *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei:* ibidem v. 11. *Accedens revolvit lapidem* &c. Matth. item c. 28. v. 2. Denique Lucæ 1. v. 28. *Et ingreſſus Angelus ad eam dixit &c.* Vides ergo, Angelos prius per ſubſtantiam fieri loco præſentes, quam ibi aliquid operentur: ſola itaque Angeli ſubſtantia eſt ſufficiens ratio, qua proximum fundamentum localis præſentiæ ejus haberi dicatur.

Objicies 1. cum Gotti in tract. 9. de Angelis q. 3. dub. 1. §. 4. n. 52. „ Ut ſubſtantia „ Angeli ſit ratio proxime fundans præſentiam „ localem, non ſat eſt ſola ſubſtantia, ſed debet eſſe ſubſtantia, ut tangens locum: ſicut „ ut ſubſtantia corporea fundet proxime præſentiam localem, non ſibi ſufficiunt ea, quæ „ habet de linea ſubſtantiæ; ſed requiritur, ut „ tangat, & extendatur quantitative in loco. „ Cum ergo contactus, quo Angelus tangit „ locum, non ſit quantitativus, ſed virtutis, „ & iſte habeatur per operationem, qua loco „ unitur; ideo, hac deficiente, eſſet quidem „ ibi ſubſtantia, ſed non ut locata. Sicut ſi „ ab aqua exiſtente in vaſe, Deo ſic diſponente, auferretur quantitas & extenſio, illa aqua „ eſſet in vaſe negative, quia non eſſet extra „ vas, ſed non eſſet amplius in illo vaſe, ſicut locatum poſitive in loco; quia deeſſet „ illi ratio, proxime fundans præſentiam localem.

Reſp.,

Reſp., quod ſubſtantia Angeli per ſeipſam ſit ratio tangendi locum, metaphorico ſcilicet improprioque contactu, quem entitativæ virtutis appellant. Quid enim contactus ille eſt, niſi quoddam unionis ac præſentiæ genus, quo ſubſtantia reperitur in loco? Nam & in corpore entitativa partium pluralitas ratio eſt, qua illud loco ſiſtitur, & quidem circumſcriptive, ſi totum corpus toti loco, & corporis partes partibus loci naturali modo reſpondeant. Quantitas autem dici dumtaxat poteſt ratio, qua, naturaliter loquendo, impenetrabili modo corpus in loco ſtatuitur; cum uti Scotiſtæ vulgo nunc tenent, quantitas accidens ſit abſolutum, realiter a ſubſtantiæ entitate diſtinctum, cujus eſſentia non in entitativa, vel locali extenſione, ſed in impenetrabilitate conſiſtit.

Ergo ut ſpiritualis ſubſtantia *poſitive locata* dicatur, ſat eſt, ut ipſa ſuo modo locum repleat per eſſentialem virtutem, non per virtutem operationi conjunctam, aut per applicationem ad opus; per hanc enim dumtaxat ex conſequenti, ut ajunt, ſive per effectum, ejus in loco-præſentia declaratur: ſola vero ſubſtantia eſt, quæ dum alicui loco præſens & proxima redditur, ſtatim ibi eſſe & locari dicenda eſt: alioquin dum Angelus ab operatione vacaret, ſine omni loco ſubſiſteret; quod immane quantum nobis abſurdum eſſe videtur. Angelica namque ſubſtantia eo ipſo, quod creata eſt & finita, licet non corporum more, loco tamen continetur, & clauditur. *Omnia ea*, inquit Theodoretus q. 3. in Geneſim, *quæ in tempore cæperunt, finita ſunt, & habent circumſcriptam ſubſtantiam, & ideo loco opus habent: quia ideo Divinitas non eſt in loco, quia mini-*

me eſt circumſcripta.

Objicies 2. cum Eſtio in 2. d. 2. §. 7. „ Deus
„ potuiſſet Angelos creare ante mundum corporeum, & ita non fuiſſent in loco: ergo ratione ſubſtantiæ non requirunt locum, ſeu ſpatium; neque mundo poſtea creato, vel in eo, aut aliqua ejus parte, vel extra ipſum ad certam diſtantiam illos eſſe, neceſſarium fuiſſet.

Reſp. Concedimus argumentum, negamus autem quod inde Eſtius inferre conatur. Sicut etiam ad hoc ut homo veſtitus appareat, nedum ſubſtantia ejus., ſed & veſtis exigitur, qua poſita, per ſeipſum homo dicitur induere veſtem: ita ad hoc ut Angelus in loco eſſe dicatur, non ſola ejus ſubſtantia ſufficit; ſed requiritur & locus, a quo licet Angelus corporeo modo non pendeat, poſſitque *ſimpliciter & abſolute* ſine poſitivo loco ſubſiſtere, ut in hypotheſi, de qua loquitur Eſtius; dum tamen per eſſentiam ſuam tantum loco præſens eſt, dicitur conſtitutus in loco; etiam ante quam operatio aliqua ab illo egredi concipiatur. Denique ſpatium corpore carens, etſi poſitivum dici non poſſit; eſt tamen aliquid ſuo modo reale & exiſtens (lege lib. noſtrum 2. c. 3.); in quod ſane ſpatium, ſi Angeli eſſentiam Deus adduceret, prius in eo Angelus eſſe, quàm agere diceretur.

Objicies 3. cum Juenin in diſſert. 1. de Angelis q. 4. c. 3. a. 4. „ Angeli per id non conſtituuntur in loco, quod per ſe eſt indifferens ad hunc, aut illum locum: ſcilicet id, per quod res aliqua conſtituitur in loco, debet eam determinare, ut ſit in uno loco potius, quam in alio: atqui (ut patet) An-

„ ge-

„ gelorum eſſentia per ſe eſt indifferens, ut ſit
„ in uno loco potius quam in alio.

Reſp., ex eo quod Angeli eſſentia per ſe dicatur indifferens, ut in uno potius, quam in alio loco conſiſtat, aliud profecto non conſequi, quam quod indigeat illa, ut vel a libera Angeli voluntate, vel a voluntate divina determinetur ad certum locum implendum. Ejuſcemodi vero determinatio fit in genere efficientis, & extrinſecæ cauſæ, non intrinſecæ, non formalis: nam poſtquam determinatus eſt locus, eidemque appropinquat eſſentia, jam hæc illico per ſeipſam in loco reponitur. Nempe quemadmodum materia eſt quidem indifferens, ut hanc vel illam formam accipiat; at poſtea quam ad certam formam ab agente determinatur, jam per ſeipſam, veluti per intrinſecam proximamque rationem, formæ illi conjungitur: ita & Angelus per eſſentiam ſuam, tanquam per intrinſecam cauſam & proximum fundamentum, in loco ſtatuitur; quanquam determinatio loci ab ipſius voluntate dependeat, ſi naturalis locus fuerit; aut dependeat a ſola Dei voluntate, ſi locus fuerit Angelo violentus; ſicuti ſcilicet damnati ſpiritus in inferis detinentur.

Ex dictis apparet & ratio, cur licet Angeli eſſentia ſit indiviſibilis, relate tamen ad locum diviſibilis quodammodo ſit dicenda; ita nimirum, ut poſſit modo majus, modo minus loci ſpatium occupare. Quamvis enim angelica ſubſtantia ex ſe ſe determinata ſit ad locum ſibi adæquatum, quo majorem occupare non poteſt; non tamen in toto illo loco, aut in certa ejuſdem loci parte exiſtere neceſſario debet; ſed eſt per ſeipſam indifferens, ut aut in toto loco, aut in majori vel minori ſpatio intra ejuſ-

dem loci latitudinem ſe componat; determinationem vero aut ex divina, aut ex propria voluntate recipiat, modo ſuperius explicato: quatenus nempe ipſa Angeli eſſentia ſit fundamentalis proxima ratio, qua majus, vel minus loci ſpatium occupatur; divina vero vel angelica voluntas ſit efficiens cauſa determinationis illius; operatio denique, ſi qua ab Angelo in eo loco præſtetur, ſit dumtaxat effectus & ſignum Angeli jam præſentis.

Pro faciliori inſuper hujuſce rei intelligentia notandum eſt, magnum verſari diſcrimen angelicam inter corporeamque ſubſtantiam: hæc enim diviſibili modo locum implet, ejuſque tota extenſio cum toto loco, & partes extenſionis ejus cum loci partibus eadem veluti menſura junguntur. Illa vero tota in toto loco, & tota in qualibet loci parte ſubſiſtit; proindeque ſicuti rationalis anima, quin varietur intrinſecus, poteſt nunc majorem, nunc minorem corporis informare materiam; ita & Angelus abſque intrinſeca mutatione ſubſtantiæ, aliquando in majori, aliquando in minori loco poteſt exiſtere, vel prout voluntati ſuæ libuerit, vel pr[illegible] fuerit a Deo decretum. Idcirco autem rationalis anima ad ſui nutum nequit totum non informare corpus, quia illa corpus reſpicit, tanquam ſuum naturale ſubjectum; non ita tamen Angelus a loco dependet.

Deſcendit etiam ex dictis, quod poſſit Angelus minimum locum & indiviſibilem occupare; cum enim ille definitive locum repleat, totus eſt in toto loco, & totus in qualibet loci parte; indiviſibilis licet iſta dicatur & minima.

Infertur ulterius, quod Angelus in pluribus locis

locis; quæ adæquata dicuntur, naturaliter eſſe non poſſit. Ille namque locus dicitur adæquatus, qui neque a re locata exceditur, neque illam excedit. Atqui ſi poſſet Angelus duo ejuſcemodi loca replere, jam illorum quilibet adæquatus ſimul eſſet, & non eſſet: eſſet quidem, ut ſupponitur; non eſſet autem, cum Angelus alio etiam in loco exiſtens, priorem locum excederet. Deinde ſi poſſet in duobus; ergo ſimiliter, cum nulla in oppoſitum manifeſta ſit ratio, eſſe poſſet in tribus, in quatuor, in pluribus, tandem in omnibus, & ubique; quod cogitatu dictuque abſurdiſſimum eſt. *Non quod*, ait de Angelis Damaſcenus in lib. 2. c. 3., *corporeo modo circumſcribantur (neque enim more corporum, quoad naturam attinet, figurantur, aut trina dimenſione diſtenti ſunt), ſed quod ubi ſe conferant, illic ſpiritualiter adſint, & operentur; nec eodem tempore hic atque illic eſſe, & operari poſſint:*

Divinitus autem fieri poteſt, ut Angelus in pluribus adæquatis locis exiſtat, cum in hoc contradictio nulla prorſus appareat. Nam ſi Chriſti corpus circumſcriptive in Cœlo exiſtens, per Dei virtutem definitive poteſt in pluribus locis exiſtere; ita dum de Angelorum loco agitur, ſimili modo dicendum eſt; imo majori cum ratione: ad hoc enim ut Chriſti corpus conſecratis ſpeciebus præſens evadat, duo miracula requiruntur; primum ſcilicet, ut corpus modo illo privetur, quo naturaliter eſſe petit in loco; alterum vero, ut pluribus in locis exiſtat. At dum Angelus divina virtute pluribus adæquatis locis adeſſet, unicum tantummodo miraculum eveniret, quo nimirum ejus præſentia multiplicari deberet.

Ex quo patet etiam, poſſe Angelum per Dei potentiam eſſe in pluribus locis inadæquatis, etiamſi illa ab invicem ſint ſejuncta. Quod ut planius fiat, advertimus, quod ſi ex. cauſa, locus centum palmorum relate ad Angelum ſit adæquatus, poteſt ille pro ſui libito vel omnes palmos, vel eorum dumtaxat unum aut aliquos occupare; ſi tamen palmi continui invicem fuerint, & conjuncti: at naturaliter occupare non poteſt hic quinquaginta loci palmos, & quinquaginta alios alibi exiſtentes: alioquin poſſet in Cœlo ſpatium quinquaginta palmorum implere, & alios quinquaginta palmos in terra; proindeque motu non egeret, ut ab uno loco ad alium pertranſiret; quod enti finito repugnare, indubium eſſe videtur. Recole verba, quæ ſupra ex Damaſceno citavimus. Sicut igitur anima noſtra diſſitas corporis partes informare non poteſt, quin interpoſitas etiam partes informet; ita dum de angelica natura diſſeritur, ſimiliter videtur eſſe dicendum. Dum vero omnipotentis Dei virtutem attendimus, affirmamus, quod ſicuti valet ille in pluribus adæquatis locis, ita & in pluribus inadæquatis, angelicam replicare ſubſtantiam, etiamſi loca illa ſint quam longiſſimo ab invicem intervallo disjuncta.

Denique ſi quæſieris, an plures Angeli naturali virtute poſſint ſimul in eodem loco conſiſtere? Reſpondebimus affirmative. Spirituales namque ſubſtantiæ, cum careant quantitate, penetrari invicem poſſunt; adeoque poſſunt etiam in eodem pariter loco morari: qua profecto ex cauſa contigiſſe videtur, ut Marci 5. v. 9. integra dæmonum legio in uno corpore concluſa maneret. Nam quod nonnulli dicunt, non poſſe plures Angelos in eodem loci ſpatio reperi-

periri, quando ibi totaliter operantur; id ex dictis facili reſponſione diluitur: non enim per operationem Angeli conſtituuntur in loco, uti Scholaſtici illi pro certo ſupponunt: deinde poſſent plures Angeli in eodem ſpatio diverſi generis operationes efficere; aut ſi eundem præſtarent effectum, poſſet eorum quilibet ſuum attemperare concurſum, ſicque effectus a ſingulis non totaliter oriretur.

Breviter hactenus complexi ſumus, quidquid ad Angelorum locum pertinere præcipue videbatur: nunc alteram quæſtionis partem, quæ localem motum reſpicit, diſcutiendam aggredimur. Itaque uti patet ex iis quæ in utraque ſuperiori propoſitione protulimus, de loco in locum Angeli moventur; cum Scriptura ſæpiſſime doceat, illos ambulare, advenire, diſcedere &c. Quæ quidem teſtimonia proprie & juxta literalem obviumque ſenſum accipienda eſſe inde colligitur, quod nihil contra fidem, bonoſque mores, nihil etiam contra rationis evidentiam ex ſententia noſtra ſequatur. Quapropter appoſite ſcribit Chryſoſtomus hom. 2. in epiſt. ad Hebr. *Magis autem neque miſſus eſt*, Dei Filius; *neque enim de loco ad locum pertranſiit, ſed carnem ſumpſit: iſti autem*, Angeli, *per loca mutantur, & prima loca, in quibus fuerant, deſerentes, ad alia veniunt tranſeundo, in quibus non erant antea*. Similia habet Ambroſius in lib. 1. de Spir. S. c. 10. *Ille*, Spiritus nempe Sanctus, *cum ſit ubique, non poteſt recedere a loco, neque acquirere locum: Angelus vero, cum loco definiatur, poteſt locum acquirere, & deſerere*. Conſule & Damaſcenum in Sacris Parallelis tit. 47.

Illa vero virtus, qua Angelus ſeipſum, & alia mo-

movet, uti probalius arbitramur, ab ejuſdem voluntate diſtincta non eſt. Nulla namque neceſſitas hic apparet, ut dicamus, quod Angeli voluntas alteri vel realiter, vel etiam formaliter a ſe diſtinctæ imperet facultati, quæ motum ad ſui nutum exerceat. Sicut itaque angelica voluntas per ſeipſam operationes alias libere præſtat, ita præſtat & motum.

Quæri hic inſuper poteſt, num poſſint naturaliter Angeli de uno loco ad alium pervenire, quin interpoſita ſpatia ſuo motu pertranſeant? Cui nos interrogationi reponimus, quod non poſſit id ullatenus evenire. Localis namque motus in ſuo conceptu non tantum temporis, ſed & ſpatii ſucceſſionem involvit: ſicut igitur ſucceſſio temporis præter extrema mediam etiam durationem includit; ita & ſucceſſio ſpatii medium intervallum præter extrema loca complectitur: adeoque quemadmodum ad poſtremam temporis partem non accedimus, niſi prius tranſeundo per mediam; ita ad ultimam loci partem pervenire non poſſumus, niſi prius interpoſitam partem ſpatii percurramus. Ut enim recte argumentatur Seraph. Doctor in 1. d. 37. p. 2. a. 2. q. 2. *Angelus movetur a termino* a quo *ad terminum* in quem: *aut ergo movetur in termino* a quo, *aut in termino* in quem: *ſed in termino* a quo *eſt non motum eſſe; in termino vero* in quem *eſt motum eſſe: ergo cum moveri ſit medium inter utrumque, oportet, quod ſit in ſpatio intermedio.*

Ad hæc accedit, quod ut ibidem ait S. Doctor: *Quandocunque inter aliqua extrema cadit medium, quod habet naturalem ordinem ad extrema; impoſſibile eſt, quod agens virtutis finitæ poſſit pervenire ab extremo in extremum ſine*

me-

medio . . . Sed inter cœlum & terram naturali ordine ſunt alia corpora media: ergo impoſſibile eſt, quod a cœlo in terram veniat, ſive moveatur ſine medii tranſitione.

Ex dictis evincitur, quod Angeli non in inſtanti, ſed in ſucceſſivo tempore moveantur. Uti enim bene ait S. Bonaventura in q. 3. citati articuli: *Omnis motus proprie dictus habet prius, & poſterius, & ſitum, & tempus: & omne tale eſt ſucceſſivum.* Quod docet etiam Auguſtinus in lib. 12. de C. D. c. 15. Bernardus ſerm. 78. in Cantica, S. denique Thomas in p. 1. q. 53. a. 3.

Notat autem eodem in loco Seraph. Doctor, „ quod in motu, qui ſucceſſivus eſt ſucceſſione perfecta, eſt ſucceſſio ex quadruplici „ cauſa. Prima eſt medii diſtantia: ſecunda „ eſt medii reſiſtentia: tertia eſt partibilitas mo„ bilis: quarta eſt finitas virtutis; eo quod fi„ nitæ virtutis proprie eſt movere in tempore, „ maxime per medium. Quinta poteſt eſſe fi„ nitas, & limitatio mobilis. Concedendum eſt „ ergo, quod motus Angeli per medium non „ eſt perfecta ſucceſſione ſucceſſivus; quia de„ ficit ibi reſiſtentia ſpatii, & partibilitas mo„ bilis; eſt tamen ſucceſſivus ratione diſtantiæ „ ſpatii, in qua poteſt eſſe ſimul per totum; „ & ratione finitatis virtutis moventis, quæ „ non excedit medium improportionabiliter, „ ideo nec facit motum improportionabilem „ medio omnino.

Ergo licet ſucceſſive Angelus moveatur, celerrime tamen diſtantia quæcunque loca percurrit; cum nullo præpediatur obice, nulla mole gravetur. Hoc ut Scriptura apertius indicaret, Angelos vento comparavit, & igni: *Qui facis*

facis angelos tuos, ſpiritus: & miniſtros tuos, ignem urentem. Pſalmo 103. v. 4. Hinc etiam pinguntur alati, ut eorum mira velocitas oſtendatur; uti Auctor de Cœleſti Hier. c. ultimo obſervavit. Idem quoque docent Tertullianus in Apolog. c. 22. Nazianzenus Orat. 34. Hieronymus contra Vigilantium, aliique communiter.



CA-

CAPUT X.

Angelorum Hierarchiæ & Ordines recenſentur, & de eorundem multitudine diſputatur.

Hierarchia a græco ἱερὸς *ſacer*, & ἀρχὴ *principatus* ſuam derivat originem; ſacrum itaque Principatum Hierarchia ſignificat. Alia vero Cœleſtis eſt, & alia Eccleſiaſtica; illa ad Angelos, hæc ad Clericos pertinere notiſſimum eſt. In dæmonibus autem, uti ex ipſa nominis ethymologia jam patet, Hierarchia admitti non poteſt; licet & inter eos principatus quidam inveniatur, & ordo naturæ. Ordo tamen, prout ad rem præſentem attinet, a Hierarchia diſtinguitur: hæc enim gradum dicit in Angelis; at ille quandam ordinationem plurium Angelorum ſub eodem gradu deſignat. Hiſce nunc prænotatis, ſit

Propoſitio 1. Novem ſunt Angelorum Ordines, ſive Chori, qui in tres Hierarchias non ſine ratione a Theologis dividuntur.

Probatur. Et quod novem ſint Ordines Angelorum, a M. Gregorio demonſtratur hom. 34. in Evang., ubi ſcribit: „ Novem Angelorum Ordines diximus, quia videlicet eſſe, „ teſtante ſacro eloquio, ſcimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, „ Dominationes, Thronos, Cherubim, atque „ Seraphim novimus. Eſſe namque Angelos & „ Archangelos, pene omnes ſacri eloquii pagi-

„ næ

„ næ teſtantur. Cherubim vero atque Seraphim
„ ſæpe, ut notum eſt, libri Prophetarum lo-
„ quuntur. Quatuor quoque Ordinum nomina
„ Paulus Apoſtolus ad Epheſios enumerat di-
„ cens: *Supra omnem Principatum, & Poteſta-*
„ *tem, & Virtutem, & Dominationem*. Qui
„ rurſus ad Coloſſenſes ſcribens ait: *Sive Thro-*
„ *ni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive*
„ *Poteſtates* . . . Dum ergo illis quatuor, quæ
„ ad Epheſios dixit, ... conjunguntur Thro-
„ ni, quinque ſunt Ordines . . . Quibus dum
„ Angeli, & Archangeli, Cherubim, atque
„ Seraphim adjuncta ſunt, proculdubio novem
„ eſſe Angelorum Ordines inveniuntur.

Novenarium hunc etiam numerum agnoverunt Ignatius in epiſt. ad Trallianos, Irenæus lib. 2. c. 54., Auctor de Cœl. Hier. c. 6., Bernardus lib. 5. de Conſid. c. 4., Damaſcenus lib. 2. de fide orthod. c. 3., Rupertus lib. 3. de proceſſ. Spiritus S., Magiſter denique Sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, aliique quamplurimi.

Quod autem in tres Hierarchias novem illi Ordines dividantur, conſtat ex laudato Auctore de Cœl. Hierarch., qui citato c. 6. in prima Hierarchia collocat Seraphim, Cherubim, & Thronos; in altera ſtatuit Dominationes, Virtutes, Poteſtates; in tertia denique Principatus, Archangelos, Angeloſque conſtituit.

Gregorius etiam in laudata hom. 34. eadem docet, hoc tantum admiſſo diſcrimine, quod Principatus in ſecunda, & Virtutes in tertia Hierarchia reponat. Utramque vero ſententiam Doctor Angelicus in p. 1. q. 108. a. 6. conciliari poſſe exiſtimat, ſi dicatur, per Gregorium Principatus eſſe, qui per Auctorem Cœl.
Hier.

Hier. ſunt Virtutes; ac per eundem eſſe Virtutes, qui Principatus ab Auctore Cœl. Hier. vocantur: quod ex ipſius Gregorii expoſitione colligi facile poterit. Ceterum Gregorium ſecuti ſunt S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonaventura, aliique.

Objicies 1. Nomina illa, Principatus, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, & Throni deſcendiſſe videntur ex Orientalium conſuetudine, ac præcipue Perſarum, quibus olim ſubjecti fuerunt Hebræi: non ergo perperam Eraſmus, Beza, aliique ejuſdem furfuris affirmarunt, hiſce nominibus non deſignari diverſos Ordines Angelorum.

Reſp., quod licet ea nomina talem originem habuiſſe dicatur, Angelicis tamen Ordinibus imponi rectiſſime potuerunt; ſicuti nempe eximii Viri Angelorum nominibus aliquando ſignantur. Et ſane non de terreni tantummodo regni poteſtate eſt locutus Apoſtolus, dum in Epiſt. ad Epheſ. c. 1. vv. 20. & 21. ſcripſit, quod Deus Chriſtum conſtituerit *ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro*. Ita quoque in epiſt. ad Coloſſ. c. 1. v. 16. inter *inviſibilia* collocat Thronos, Dominationes, Principatus, & Poteſtates. Nihil itaque contra conſtitutos Angelorum Ordines ex adducta argutatione colligitur.

Objicies 2. S. Hieronymus in lib. 2. contra Jovin. & Methodius apud Epiphanium in hæreſi Origenis, ſeptem dumtaxat Angelorum Ordines enumerant. Sed & quatuor tantum angelici Ordines recenſentur ab Ambroſio in lib. 1.

de Fide c. 1., & a Cyrillo Hier. in Catecheſi 6. Non ergo pro certo dicendum eſt, quod novem ſint Ordines Angelorum.

Reſp. quod ſicut Eccleſia licet novem Angelorum Ordines diſtincte recenſeat in Officio S. Michaelis, & in Officio omnium Sanctorum; alibi tamen, ut in Præfatione Canonis Miſſæ, & in Hymno, *Te Deum laudamus*, non omnes, ſed aliquos tantum enumerat Ordines, quin alios rejiciat: ita & Patres aliquando pauciores Ordines recenſent, quin tamen novenarium numerum conceptis verbis excludant; imo alibi aliorum Ordinum meminerunt, ſicut inter cæteros præſtitit Hieronymus in lib. 2. Apologiæ contra Rufinum.

Ut autem de cujuslibet Ordinis officio, nominiſque ſignificatione breviter diſſeramus, adjungimus, quod ſuprema Hierarchia primo contineat Seraphim, qui ita vocantur ab Hebraico verbo *Saraph*, *incendere*; in divino enim amore flammeſcunt, eandemque charitatem in alios quoque transfundunt. Secundo complectitur Cherubim, quod nomen incertæ eſt derivationis; illos vero Spiritus ſignificat, in quibus divinæ ſcientiæ habitat plenitudo, per quam & inferiores Angelos illuminant. Tertio comprehendit Thronos, in quibus ſpeciali modo reſidet divina Majeſtas: hi Spiritus ſumma pace fruuntur, eandemque aliis communicant.

In ſecunda Hierarchia primo ſunt Dominationes, quæ quodam ſuperioritatis exceſſu inferioribus Angelis quæ ſunt agenda, diſtribuunt. Secundo reperiuntur Virtutes, quibus præcipue competit, ut Dei opitulante virtute, ſigna & miracula fortiter operentur. Inveniuntur tertio Poteſtates, quarum officium eſt, dæmones coercere,

cere, ne hominibus noceant, divinæque providentiæ ordinem interturbare præſumant.

In tertia Hierarchia primo numerantur Principatus, quibus præcipue divinorum mandatorum executio commiſſa eſt; qua in re inferiorum Ordinum Angelos moderantur. Secundo recenſentur Archangeli; id eſt, nuncii digniores, qui ad ſumma referenda mittuntur. Tertio computantur Angeli, qui communi vocabulo ſic dicuntur, quia ad minima nuncianda, & ad hominum cuſtodiam deſtinantur.

Et hæc quidem de diviſione officiorum, quæ a novem Angelorum Ordinibus exercentur, veriſimili tantum conjectura notavimus; nam & Patres eadem de re ſobrie ſunt locuti. Unde S. Hilarius in Pſalmum 129. ſcribit: *Quis Angelorum, & Poteſtatum, & Dominationum, & Thronorum, & Principatuum officia, rationeſque percipiat?* Cum Hilario ſentiunt Auguſtinus in lib. ad Oroſium c. 11. Bernardus in lib. 5. de Conſid. c. 4. Auctor de cœl. Hierarch. c. 6. aliique.

Alteram nunc quæſiti partem expendimus, dicimuſque primo, quod valde magnus ſit numerus Angelorum. Legitur enim Dan. c. 7. v. 10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*. Matth. etiam c. 26. v. 53. Chriſtus affirmat, quod Pater ſibi poterat exhibere *plus quam duodecim legiones Angelorum*. Et in epiſt. ad Hebr. c. 12. v. 22. ſcribit Apoſtolus acceſſiſſe fideles *ad multorum millium Angelorum frequentiam*.

Ad hæc, Deus in Scripturis paſſim Deus Sabaoth, ideſt Exercituum appellatur; ob immenſam ſcilicet cœleſtium Militum numeroſitatem; quæ inde probatur etiam, quod hominum

quilibet a Deo habeat ad ſui cuſtodiam Angelum deputatum. Magnam denique malorum etiam Angelorum multitudinem eſſe, conſtat ex eo, quod in Evangelio legatur, vel unum hominem a dæmonum legione fuiſſe poſſeſſum.

Docent hoc ipſum & Patres, ex quibus, ne prolixiores ſine cauſa videamur, unicum afferemus Chryſoſtomum in hom. 2. de Incomprehenſibili ſic ſcribentem: *Dena ſunt millia myriadum Angelorum ſupra, & decies centena millia Archangelorum: item Throni, & Dominationes, & Principatus, & Poteſtates, & infiniti populi corpore carentium Virtutum, ac gentes innumerabiles* &c.

Non tamen ex dictis recte quis inferret, quod Angelorum numerus ſit abſolute ac penitus infinitus. Cuilibet enim creaturarum multitudini ſemper ab omnipotente Deo fieri poteſt additio; & quælibet natura creata cum intrinſecus ſit communis, intrinſecam etiam capacitatem includit, qua poteſt in aliis aliiſque ſuppoſitis inveniri. Quare Gregorius in lib. 17. Mor. c. 13. alias 9. adducit illud ex Dan. c. 7. v. 10. & ait: *Supernorum civium numerus infinitus, & definitus exprimitur, ut qui Deo eſt numerabilis, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur.*

Et hæc quidem ab omnibus admittuntur: quod tamen graviori premitur difficultate, illud eſt, an hominum numerum numerus Angelorum excedat? Nos licet hac de re, quæ neque certa auctoritate, neque firma ratione munitur, nihil definire poſſimus; quæ tamen vero magis ſimilia judicamus, in medium proferemus.

Propoſitio 2. Non prorſus improbanda ſententia eſt, plures numero Angelos eſſe, quam homines.

Pro-

Probatur. Matth. 18. & Lucæ 15. Chriſtus illam refert parabolam, in qua Paſtor nonaginta novem oves reliquiſſe deſcribitur, ut ovem centeſimam inveniret. Modo, ut ait Hilarius in Matth. can. 18. *Ovis una homo intelligendus eſt, & ſub homine uno univerſitas ſentienda eſt. Sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit; ergo nonaginta novem non errantes multitudo Angelorum cæleſtium opinanda eſt, quibus in Cœlo eſt lætitia, & cura ſalutis humanæ.*

Item Ambroſius lib. 7. in c. 15. Lucæ ſcribit: *Dives igitur Paſtor, cujus omnes nos centeſima portio ſumus, habet Angelorum, Archangelorum, Dominationum, Poteſtatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit; qui quoniam ſunt rationabiles, non immerito de hominum redemptione lætantur.*

Denique Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi 15. hoc idem affirmat, adductaque plauſibili congruentia illuſtrare conatur; inquit enim: *Nam pro magnitudine locorum, quorumlibet incolarum æſtimandus eſt numerus. Terra univerſa puncti inſtar eſt in medio unius Cœli; tantamque Cœlum, quod illam ambit, incolentium multitudinem continet, quantam ipſum habet amplitudinem. Et Cœli Cœlorum omni æſtimatione ſuperiorem numerum complectuntur.*

Tradunt hoc idem Chryſoſtomus in loco ſuperius laudato, Nyſſenus contra Eunomium c. 41. Didymus apud Maximum ad c. 14. de Cœl. Hierarch. Lactantius denique, Titus Boſtrenſis, Æneas Gazenſis, Dionyſius Chartus. S. Thomas, aliique.

At contra dices. Angeli qui lapſi ſunt, nu-

mero ſunt minores Angelis qui ſteterunt: hoc enim ſequi videtur ex eo, quod in Apoc. c. 12. v. 4. legitur: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli*. Ergo hominum numerus numerum ſuperat Angelorum. Conſequentia patet; nam electi homines rebellium Angelorum numerum vel ſuperant, vel ſaltem exæquant: ſcribit enim Auguſtinus in Enchir. c. 29. quod Angelorum ruina ſit reparanda per homines; atque *ita ſuperna Jeruſalem mater noſtra Civitas Dei, nulla Civium ſuorum numeroſitate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortaſſe regnabit*. Hanc Auguſtini ſententiam Anſelmus quoque, & Iſidorus inter alios docuerunt. In confeſſo inſuper eſt apud omnes, quod ex hominibus minus quam tertia pars ſalvetur: *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi*: Matth. 30. 16. Ergo pars quæ damnatur ex hominibus, longe major eſt parte illa, quæ ſalvatur ex Angelis: ergo totum humanum genus majori numero conſtat, quam genus Angelicum.

Reſp. quod textus ex Apocalypſi citatus licet ad Angelorum ruinam a quibuſdam dicatur alludere; ſi tamen literali in ſenſu ſumatur, per draconis caudam Antichriſtus intelligendus eſt, qui affliget, vel etiam ſua perſecutione ſeducet magnam partem Virorum illuſtrium, qui in firmamento Eccleſiæ, ſtellarum inſtar, doctrina ac pietate fulgebunt: uti textum iſtum exponunt Gregorius lib. 12. Mor. c. 14. Richardus, Lyranus, a Lapide, aliique complures.

Ceterum etſi dare velimus, præfatum teſtimonium exponi poſſe de Angelis, qui a Cœlorum ſedibus corruerunt; nihil tamen certi inde poteſt evinci. Tertiæ enim partis nomine indeterminate magnus Angelorum numerus deſigna-

ſignatur; cumque evidenter aliunde non conſtet, quot ſint Sancti Angeli, quotque rebelles; ac inſuper ignotus ſit electorum hominum numerus tum in ſe inſpectus, tum etiam comparatus ad Angelos, ſive qui ſtare, ſive qui ceciſſe dicuntur: idcirco firmum argumentandi robur ex adducto textu deduci non poteſt. Denique dici poteſt cum S. Thoma in 1. d. 39. q. 2. a. 2., quod *multo plures fuerunt* Angeli *remanentes, quam cadentes, & forte etiam plures, quam omnes damnandi dæmones, & homines.*

Neque Auguſtinus hac de re definite diſputaſſe videtur, ſed aſſeruiſſe dumtaxat, quod Angelorum caſus ſit per homines inſtaurandus; unde ſubjungit: *Neque enim numerum aut Sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum ſuccedentes filii ſanctæ Matris, quæ ſterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ciciderunt, ſine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum Civium numerus ſive qui eſt, ſive qui futurus eſt, in contemplatione eſt ejus Artificis, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.*

Dices 2. Scribit Gregorius hom. 34. in Evang., quod *ſuperna illa Civitas ex Angelis & hominibus conſtat, ad quam credimus tantos humani generis aſcendere, quantos illic contigit electos Angelos remanſiſſe, ſicut ſcriptum eſt*, in Cantico Deuteronomii c. 32. v. 8. *Statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei.* Tot ergo videntur electi Angeli eſſe, quot homines.

Reſp., quod licet in Verſione Septuaginta legatur, *juxta numerum Angelorum Dei*; in Vulgata tamen, & in Hebraico textu habetur, *juxta*

ta numerum filiorum Iſrael. Rectus itaque & integer hujuſce teſtimonii ſenſus erit, quod quando Altiſſimus *ſeparabat filios Adam* per varias Orbis regiones, poſtquam in Babel diviſæ ſunt linguæ; jam extunc *conſtituit terminos populorum*; id eſt, præparavit aliquos terræ fines, prius a Chananæis incolendos; non tamen horum intuitu, quos ob idololatriam, aliaque ſcelera delendos eſſe decreverat; ſed intuitu filiorum Iſrael, juxta quorum numerum, ſive ad quorum commodam habitationem reſpexit Deus, etiam antequam ille populus exiſteret; quod divinæ dilectionis præcipuum eſt & evidens argumentum. Nihil ergo ex adducto textu contra opinionem, quam ut vero magis ſimilem propugnamus, eruitur. Gregorius autem aliique nonnulli, idcirco aliter hac in quæſtione ſenſiſſe videntur, quia Verſionem illam 70. Interpretum præ manibus habuerunt: majorem vero Doctorum partem in oppoſita fuiſſe ſententia, ex probatione jam patet.

CAPUT XI.

An cujuslibet Ordinis Angeli a Deo mittantur? Ubi etiam de Angelis agitur hominum cuſtodibus.

NIhil frequentius in Scripturis aſſeritur, quam quod Angeli ad homines a Deo mittantur. *Ecce ego mittam Angelum meum:* Exodi 23. 20. *Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo:* Lucæ 1. 26. *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum:* Act. 12. 11. & alibi paſſim.

In dubium nunc vocatur, an ex divina ſaltem diſpenſatione cujuslibet Ordinis Angeli immediata & externa ad nos miſſione fungantur? Ven. Scotus, aliique quamplures ita evenire conſentiunt; e contra vero Thomiſtæ nonnulli contendunt, Seraphim, Cherubim, Thronos, & primum ſecundæ Hierarchiæ Ordinem, Dominationum nomine decoratum, nunquam ad nos immediate mitti, ut exterius aliquid operentur; ſed mediate tantummodo, quatenus ex Dei mandato inferiores Angelos illuminent, & imperando moveant, ut externum opus aliquod exequantur.

Propoſitio 1. Angeli omnes aliquando ad nos extraordinaria ſaltem legatione mittuntur.

Probatur. Et profecto id aperte demonſtrat Apoſtolus, dum ad Hebr. c. 1. v. 14. ſcribit: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt*

piunt ſalutis? Vox enim illa, *omnes*, ſingulos cujuſcunque Ordinis comprehendit Angelos, quibus Chriſtum meliorem effectum fuiſſe Paulus aſſeverat. Ibi namque intendit Apoſtolus Chriſti divinitatem oſtendere, ex quo Angelos origine, potentia, honore præcellat. Angeli enim, tanquam Dei miniſtri, pro hominum ſalute mittuntur: Chriſtus autem a dextris Dei ſedet, tanquam ejus Filius naturalis. Modo nemo non videt, quod hujuſcemodi corrueret argumentum, ſi vel unus Ordo Angelorum exiſteret, ex quo nulli extraordinaria ſaltem miſſione venirent ad homines. Sicut igitur per id, quod v. 6. legitur: *Et adorent eum omnes Angeli Dei;* cujuslibet Ordinis Angeli deſignantur; ita ſimiliter de v. 14. dicendum eſt.

Quod vero miſſio illa immediata ſit & externa, probatur ex eo, quia tunc Angelus recte proprieque dicitur, quod in miniſterium cum effectu mittatur, quando per ſeipſum opus injunctum exequitur, non quando alteri Angelo aliquid faciendum eſſe demonſtrat. Ergo propter homines qui ſalvandi ſunt, cujuſcunque Ordinis, licet altioris, Angeli aliquando immediate mittuntur.

Ad hæc accedit, quod Iſaiæ c. 6. v. 6. unus de Seraphim ad Prophetam volaſſe deſcribitur. Geneſeos etiam c. 3. v. 24. Deus ante paradiſum voluptatis Cherubim collocavit. Et Dan. 10. v. 13. Michael qui in auxilium Judæorum advenit, dicitur *unus de Principibus primis*, nempe ſupremis. Item Lucæ c. 1. v. 26. miſſus dicitur Gabriel ad Mariam: Gabrielem vero ex primis Ordinibus eſſe, eſt communis opinio, quam ſequitur quoque Bernardus hom. 1. ſuper *Miſſus eſt*. Tobiæ denique 12. 15. Raphael ait:

Ego

Ego ſum Raphael Angelus, unus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum. Adſtat enim non communi quadam ratione, quatenus divinam tantum intueatur eſſentiam, ſed præcipuo quodam titulo; ſicuti nempe ſeptem Spiritus in conſpectu divini throni eſſe dicuntur, Apoc. c. 1. v. 4. Hæc itaque teſtimonia, ſi uti par eſt, literali obvioque in ſenſu ſumantur, oſtendunt equidem, ſupremos etiam Angelos nonnunquam circa nos immediate aliquid operari.

Denique plurimi Patres, plurimique Theologi, omnium Ordinum Angelos ad externum opus aliquando mitti ſine ulla exceptione ſcripſerunt. Ita inter alios affirmarunt ex Græcis Chryſoſtomus, & Theodoretus in ſupra citatum textum epiſt. ad Hebr., & ex Latinis Hieronymus epiſt. 142. ad Damaſum, ac Bernardus in ſerm. de S. Benedicto.

Tandem cum omnes & ſinguli cœleſtes Spiritus Angelorum nomine deſignentur, conſequens eſſe videtur, ut prorſus omnes iſtud officii nomen nunciando reipſa, & exterius miniſtrando interdum adimpleant. Nam quod aliqui ex infimo Ordine peculiariter Angeli nuncupentur, non inde deſcendit, quod illi ſoli ad nos viſibili legatione mittantur: ſed quia cum nihil ſingulare habeant, quo cæteris antecellant, appropriatum ſibi commune vocabulum ſortiuntur.

At oppones. Gregorius in lib. 17. Mor. c. 9. declarans ea Danielis verba c. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei;* ita ſcribit: *Aliud eſt aſſiſtere, aliud miniſtrare. Aſſiſtunt enim illæ proculdubio Poteſtates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt: miniſtrant vero hi, qui ad*

ad explenda officia nuntiorum veniunt . . . Et quia plures ſunt qui miniſtrant, quam qui principaliter aſſiſtunt, aſſiſtentium numerus quaſi definitus, miniſtrantium vero indefinitus oſtenditur.

Reſp., quod illud *aſſiſtebant* in teſtimonio Danielis præſentiam quidem denotat, ſed exterius miniſterium non excludit. Ideo namque SS. Angeli Deo dicuntur aſſiſtere, quia mandata ejus expectant, ſemperque ad exequendum miniſterium ſunt parati. Iidem ergo Angeli aſſiſtunt & miniſtrant. Hinc Lucæ 1. Gabriel, & Tobiæ 12. Raphael Domino adſtare dicuntur, & tamen ad officia nunciorum explenda venerunt. Item Apoc. c. 7. & Regum lib. 3. c. ult. omnes omnino Angelos ſtare ſive aſſiſtere coram Domino perhibetur. Poſtremo Eccleſia aſſiſtentes & miniſtrantes Angelos eoſdem eſſe, aperte ſignificat, dum Deum ita precatur: *Concede propitius, ut a quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur.* Licet enim illi miniſtrent in terris, in cœlo tamen ſemper aſſiſtunt, quia ſemper vident faciem Patris, neque cœleſtis eorundem beatitudo minuitur.

Gregorio autem, ſicut & Auctori de Cœl. Hier. c. 7. & S. Thomæ p. 1. q. 112. qui in eadem fuere ſententia, opponimus Doctores alios numero plures, qui hoc in capite nobis aperte conſentiunt. Lege præter eos quos ſupra laudavimus, Athanaſium in orat. 3. contra Arianos, Nyſſenum in lib. 1. contra Eunomium, Cyrillum in lib. 2. ad Reginas &c.

Ceterum neque Gregorius manifeſte negavit, interdum a Deo primorum Ordinum Angelos ad exterius miniſterium deputari. Homilia enim

34.

34. in Evang. ita ſcribit S. Doctor: *Sed quia in quibuſdam Scripturæ locis quædam per Cherubim, quædam vero per Seraphim agi didicimus, utrum per ſe hæc faciant, an per ſubjecta agmina agantur, quæ ſicut dicitur, in eo quod a majoribus veniunt, a majoribus vocabula ſortiuntur, nos affirmare nolumus, quod apertis teſtimoniis non approbamus.*

Nunc vero præſtat, ut de Angelis, qui ad cuſtodiam noſtram ineffabili Dei benignitate mittuntur, paulo copioſius diſputemus: qua in re Candidatos noſtros advertimus, quod ad fidei dogmata ſententia illa pertineat, qua abſolute defendimus, SS. Angelos a Deo ad hominum deputari cuſtodiam: quod vero ulterius affirmamus, ſingulis hominibus, fidelibus præſertim ac juſtis, ſingulos adeſſe Angelos, ad firmam fidei certitudinem non pertingit; uti tamen inſignes plurimi Theologi ſentiunt, ſi quis id inficias ire præſumeret, temeritatis notam vitare non poſſet. Sit igitur

Propoſitio 2. Deus ad hominum cuſtodiam Angelos deſtinavit; & quidem ſingulos ſingulis, juſtis præſertim & fidelibus.

Probatur. Matth. 18. v. 10. Chriſtus unumquemque parvulum a peculiari Angelo cuſtodiri non obſcure deſignat, dum ait: *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.*

Item Act. 12. v. 15. multi Fideles non putantes Petrum pulſaſſe januam, dixerunt: *Angelus ejus eſt.* Erat igitur tunc Eccleſiæ perſuaſum, quod ſinguli homines ſuum Angelum cuſtodem haberent. Hoc idem evincunt Patres ac Theologi ex Gen. 48. v. 16. ex Judith 13. v. 20. & ex Pſalmo 90. Præ-

Præterea Hieronymus laudatum Matth. textum commentans, hæc habet: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.*

Ambroſius etiam in Pſal. 38. ait: *Angelus in circuitu eſt hominis, qui prætendit, ne quis noceat ei.* Ubi S. Doctor dum fidelem inter & infidelem diſcrimen nullum aſſignat, ſingulis hominibus cuſtodem adeſſe Angelum, non obſcure demonſtrat.

Deinde Bernardus in lib. 5. de Conſid. c. 4. ſcribit: *Putemus Angelos dici, qui ſingulis hominibus dati creduntur.* Præcipue vero de Fidelibus ac juſtis id aſſerunt Chryſoſtomus hom. 49. in Matth. Baſilius in Pſal. 48. Hilarius can. 18. in Matth.

Poſtremo, uti Seraph. Doctor advertit in 2. d. 11. a. 1. q. 1., quod Angeli ad hominum cuſtodiam delegentur, „ dulcedinem decet divinæ „ miſericordiæ, quæ aperuit ſinum homini la„ pſo, nec in aliquo ei defecit, quod ſpectat ad „ ſalutis ſuæ promotionem. Et ideo cum homo „ lapſus eſſet venumdatus, ut faceret malum, „ ei miniſtravit pretium ſanguinis Filii ſui, „ per quem eſt redemptus, ut faciat bonum. „ Et quia habet adverſarium impugnantem, „ dedit ei Miniſtrum cuſtodientem, vel Cuſto„ dem auxiliantem, ut ſic ex nulla parte mi„ ſeria remaneret humana ſine divinæ miſeri„ cordiæ ſubſidio, & beneficio. “ Reliqua leges apud eundem S. Doctorem.

Objicies 1. Qui aliquem cuſtodit, ipſi miniſtrat: Qui miniſtrat, minor eſt illo, cui miniſterium exhibet: Ergo vel Angelus hominem non cuſtodit, vel in ejuſcemodi cuſtodia rectus naturæ ordo pervertitur.

Re-

Reſpondet laudato in loco S. Bonaventura, quod argumentum tunc concludit, quando quis „ alteri miniſtrat propter ſeipſum; ſicut ſer„ vus Regis miniſtrat Regi propter ejus di„ gnitatem, & imperium: ſed non habet veri„ tatem, quando aliquis miniſtrat alicui ha„ bendo reſpectum ad alium; ſicut aliquando „ magnus Miles deſervit non tantum Regi, „ ſed etiam toti familiæ; nec aliquem abjicit, „ nec deſpicit, ut ei non miniſtret propter uti„ litatem perſonæ; non enim conſiderat, quis „ eſt, ſed cujus ſervus eſt, ſic & in propoſi„ to intelligendum eſt ſe habere. Angelus enim „ homini non propter ſe miniſtrat, ſed propter „ Deum, cujus gerit imaginem. “ Hinc ſane in Scripturis Angeli non hominum, ſed Dei miniſtri vocantur; & Apoc. cc. 19. & 22. Angelus ſe non Joannis ſervum, ſed conſervum appellat.

Deinde ſubjungit S. Doctor. „ Vel aliter di„ ci poteſt, quod verbum illud intelligitur de „ miniſterio ſubjectionis, non præſidentiæ. „ Cuſtodire autem hominem, etſi miniſterium „ dicat; magis tamen importat, Angelum præ„ ſidere homini, quam eſſe ſubjectum. “ Et hoc in ſenſu Bernardus ſerm. 11. in Pſal. *Qui habitat*, Angelos dicit hominum miniſtros.

Objicies 2. Pluſquam ſatis paterna Omnipotentis Dei providentia nos cuſtodit; dicente David in Pſalmo 120. v. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*. Alia igitur inferior Angelorum cura ſuperflua eſt.

Reſpondet S. Bonaventura ibidem, „ quod „ perfectio divinæ cuſtodiæ non excludit utili„ tatem angelicæ. Sicut enim Deus operatur in „ omnibus rebus, & tamen ejus operatio ope-

„ ra-

„ rationes creaturarum non excludit, ſed con-
„ ſervat, & adjuvat; nec tamen ejus operatio
„ eſt imperfecta, aut operatio creaturæ ſuper-
„ flua, ſic intelligendum eſt de cuſtodia. Sicut
„ enim Deus propter ſuæ bonitatis manifeſta-
„ tionem, & ordinis ſapientiæ oſtenſionem crea-
„ turis communicavit poſſe operari, & in alias
„ creaturas effectum ſuum imprimere, ipſo ta-
„ men non deferente, ſed cooperante: ſic de-
„ dit Angelis poſſe hominem cuſtodire; cum
„ tamen a ſervorum ſuorum cuſtodia ipſe nun-
„ quam deſiſtat; quia tale poſſe competebat
„ angelicæ naturæ, & gratiæ. Et una iſtarum
„ cuſtodiarum alteri non præjudicat; imo divi-
„ na facit ad angelicæ cuſtodiæ perfectionem;
„ angelica vero ad perfectionis divinæ cuſtodiæ
„ manifeſtationem.

Ex Sancto inſuper Thoma in p. 1. q. 113. a. 1. ad 2. habemus, quod Deus hominem immediate cuſtodiat, *infundendo ei gratiam, & virtutes*; eundem inſuper cuſtodit, *ſicut univerſalis inſtructor, cujus inſtructio ad hominem pervenit mediantibus Angelis.*

Objicies 3. Poteſt unus idemque Angelus plures homines cuſtodire; quod & Scripturæ aperte demonſtrant, dum unum Angelum exercitibus, provinciis, regnis præſidere teſtantur. Lege Joſue c. 5. & Dan. c. 10. Hoc etiam SS. Patres affirmant, Ambroſius lib. 3. de Virgin. Theodoretus q. 3. in Gen. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 2. Baſilius; & alii. Ergo ſine ulla ratione defenditur, quod ſinguli ſingulos habeant commendatos. Et ſane, ſi unus homo quandoque multorum tutelæ præficitur, cur id de Angelo dici non poterit, qui natura, potentia, ingenioque hominem quemcunque præcellit?

Hanc

Hanc quoque ſententiam Petrus Lombardus in 2. d. 11. alia argumentatione corroborat, inquiens. „ Cum electi tot ſint, quot & boni „ Angeli ſunt; plures conſtat eſſe omnes ſimul „ bonos & malos homines, quam boni Ange- „ li ſint. Et cum tot ſint electi, quot Ange- „ li boni, & Angeli boni plures ſint, quam „ mali, pluresque ſint homines mali, quam „ boni: non eſt ambigendum, plures eſſe bo- „ nos homines, quam ſint mali Angeli, & „ plures eſſe malos homines, quam ſint mali „ Angeli, vel boni Angeli. “ Non ergo ſingulis hominibus Angeli ſinguli deſtinantur, vel mali ut tentando noceant, vel boni, ut inſtruendo regendoque cuſtodiant.

Reſp., quod ſicut unus homo multoties ad unius cuſtodiam deputatur, licet ille plurium poſſet præeſſe regimini; ita & Deus, ut animarum dignitatem oſtenderet, ſuamque erga homines providentiam commendaret, ſingulis hominibus ſingulos Angelos delegavit. Deinde Angelorum potentia finita eſt, adeoque perfectius ille unum, quam plures homines vigili ſua operatione gubernat. Denique Scriptura & Patres, uti ex dictis apparet, præter Angelos, qui plurium regimini præſunt, alios eſſe declarant, quos ſingulorum hominum ſpecialis cura ſollicitat.

Ea inſuper Magiſtri opinio non certa ratione munitur, uti ex præcedente capite conſtat: ſed etſi veriſſima foret, dumtaxat evinceret, quod idem Angelus plures homines diverſo tempore cuſtodiret, dum horum alii aliis moriendo & naſcendo ſuccedunt. Hoc & Magiſter ipſe notavit ibidem adjungens: *Licet major ſit numerus hominum, computatis in unum omnibus, qui fuerunt & ſunt & futuri ſunt, quam An-*

gelorum : tamen quia homines decedentibus hominibus ſuccedunt, & ideo nunquam ſimul ſunt in hac vita, Angeli vero nunquam decedunt, ſed ſimul omnes ſunt: ideo eſſe poteſt, ut ſinguli hominum, dum in hac vita ſunt, ſingulos habeant Angelos bonos, vel malos ad ſui cuſtodiam vel exercitium deſtinatos. Cæterum quod de malis Angelis Magiſter affirmat, mox erit inferius expendendum.

Objicies 4. Obduratis & reprobis Angelum non adeſſe cuſtodem, non obſcure videtur evinci ex eo, quod legitur Jer. c. 51. v. 9. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam*. Duæ enim Gloſſæ, quas citato in loco S. Bonaventura commendat, aliique Interpretes teſtimonium iſtud de Angelis exponunt, qui peccatores deſerunt, dum ſanctis ipſorum monitis obtemperare detrectant. Speciatim vero de Antichriſto Damaſcenus apud Seraph. Doctorem affirmat, quod filius ille perditionis Angelo cuſtode carebit.

Reſpondet S. Bonaventura in laudata diſt. a. 2. q. 1. „ quod effectus Angelicæ cuſtodiæ eſt „ & reſpectu boni, & reſpectu mali: reſpectu „ boni conſervandi, vel acquirendi, vel augen„ di; reſpectu vero mali deferendi, vel evitan„ di, vel minuendi. Bonus igitur Angelus ob„ ſtinatos non deſerit, quantum ad actum cuſto„ diæ, qui reſpicit malum; quia ſemper retra„ hit hominem, ne labatur in pejus... Quan„ tum vero ad actum, qui reſpicit bonum, „ obſtinatos deſerit, & Antichriſtum non cu„ ſtodiet. &c.

Si demum illud objeceris ad Hebr. c. 1. v. 14. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem*

ca-

capient ſalutis? ut inde demonſtres, ſolos electos Angelorum cuſtodia gubernari.

Reponemus, Apoſtolum per ea verba principalem innuere finem, propter quem Angeli ad nos a Deo mittuntur: æternæ ſcilicet vitæ conſecutionem, qua reprobi ex propria culpa privantur. Conceptis autem verbis non *ad eos* inquit Paulus, ſed *propter eos;* quia Deus plura reprobis elargitur, intendens præcipue ſalutem Electorum, quibus omnia ſervire, idem Apoſtolus atteſtatur in 1. ad Cor. c. 3. v. 22.

Poſtremo inquirere ſolent aliqui, an ſicuti bonus, ita & malus Angelus ſingulis adſtet hominibus? Nos hac in parte cum P. Berti, qui in lib. 10. c. 19. præſentem controverſiam docte eruditeque pertractat, non improbabile eſſe cenſemus, quod non quidem a Deo, qui neque per ſeipſum, neque per alium poteſt ad peccandum inducere, ſed a dæmoniorum principe, qui Deum imitari conatur, eidemque pro viribus adverſari, ſingulis hominibus ſingula dæmonia ad perniciem delegentur. Hi vero nequam ſpiritus hominem exercere non poſſunt, niſi quatenus permittuntur a Deo vel ad reproborum pœnam, vel ad meritum electorum.

Et quia brevitati ſtudemus, Nyſſeni tantum hic verba ſubnectimus, quæ profecto ſatis perſpicua eſſe videntur. Inquit enim ille in lib. 1. de vita Moyſis: *Eſt ſermo ex Majorum traditione fidem ſibi vendicans, qui dicit poſteaquam natura noſtra in peccatum decidit, Deum hunc lapſum noſtrum providentia ſua minime deſtituiſſe, ſed Angelum quendam ex iis, qui naturam corporis expertem ſortiti ſunt, adhibuiſſe ad uniuſcujuſque vitæ tutelam, ac præſidium: at ex adverſo naturæ corruptorem pari machinatione con-*

traniti, *& pravo quodam ac malefico adjuncto dæmone humanæ vitæ perniciem afferre*. Eandem quoque ſententiam ſecuti ſunt Lactantius in lib. 2. Inſtit. c. 4. Origenes hom. 10. in Lucam, & Tertullianus in Apolog. c. 39. aliique nonnulli.

Ex dictis apparet, quod proprie dici non poſſit, quod mali Angeli a Deo mittantur. Ut enim notat etiam S. Bonaventura in 2. d. 10. dub. 1. „ In exercitio, quo nos diabolus exci-
„ tat, duo conſiderantur; & poteſtas, & uſus:
„ Poteſtas a Deo ei collata eſt: uſus vero po-
„ teſtatis non eſt a Deo præcipiente, ſed po-
„ tius permittente. Quoniam igitur miſſio pro-
„ prie dicit imperium, & auctoritatem: ideo
„ dæmones non dicuntur proprie mitti a Deo,
„ ut Angeli; ſed potius dicuntur Angeli diabo-
„ li; quia a ſuo principe diriguntur, & ei obe-
„ dire intendunt.

CAPUT XII.

Agit de loco, & tempore, in quo Angeli ſunt creati.

ANgelos a Deo exiſtentiæ ſuæ accepiſſe primordia, res adeo evidens & certa eſt, ut in dubium nullatenus revocetur. Expreſſa enim creationis illorum mentio non ſemel in Scripturis occurrit. Ita Danielis c. 3. v. 58. inter cætera Dei opera Angeli etiam ad ejuſdem Dei laudes invitantur: *Benedicite Angeli Domini Domino*. Item Eſther c. 13. v. 10. legitur: *Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur*. Præterea ad Coloſſ. c. 1. v. 16. inquit Apoſtolus: *In ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates.*

Tandem Angeli contingenter exiſtunt: ergo a Deo creati ſunt; & quidem in tempore, cum nihil ille ab æterno produxerit. Hinc Lateranenſe Conc. IV. in c. *Firmiter* ait, quod Deus *ſua omnipotente virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam.* Hiſce ergo præmiſſis, de loco tantum & tempore breviter differemus, quo præciſe Angeli ſunt creati.

Propoſitio 1. Angeli ſimul cum viſibili hoc mundo ſunt conditi.

Probatur. Geneſeos c. 1. v. 1. legitur: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*. Quem locum ita Auguſtinus exponit in lib. 11. de C. D. c. 6., *ut nihil antea feciſſe intelligatur: quia hoc potius in principio feciſſe diceretur, ſi quid fuiſſet ante cætera cuncta quæ fecit*. Conſentit & Epiphanius qui hær. 65. præfatum textum adducit, & hæc inter alia ſcribit: *Illud evidenter divinus ſermo declarat, neque poſt ſidera productos Angelos, neque ante Cœlum terramque conſtitutos*.

Exodi inſuper c. 20. v. 11. Moſes ait: *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in iis ſunt, & requievit in die ſeptimo*. Modo Angelos intra cœli terræque ambitum contineri, perſpicuum eſt: ergo & ipſi ſex dierum illorum ſpatio ſunt creati.

Plures etiam ex Patribus noſtram aſſeruere ſententiam; quamvis eorum aliquos oppoſitum affirmaſſe, inficias iri non poſſit. Auguſtinus itaque non uno in loco ſcribit, nomine lucis, a Deo prima die creatæ, Angelos deſignari. Lege lib. 5. de Gen. ad lit. c. 19., & lib. imperfectum de Gen. c. 5. Accedunt Gregorius M. in lib. 28. Mor. c. 7. & 14. & in lib. 32. c. 10. Caſſiodorus inſuper, & Beda ſuper Gen. c. 1. Hugo c. 5. Adnotationum ſuper Gen. Magiſter ſentent. in 2. d. 2. S. Thomas, S. Bonaventura, aliique poſteriores Theologi, qui ad id concorditer aſſerendum moti præcipue ſunt auctoritate IV. Concilii Lateranenſis, cujus verba ſupra retulimus.

Ex Græcis autem præter Epiphanium in loco ſuperius laudato, hac de re ſenſere nobiſcum

ſcum Theodoretus q. 3. ſuper Geneſim, Baſilius Seleucienſis orat. 1., Theodorus Mopſueſtenus lib. 1. in Gen., Auctor qq. ad Antiochum q. 3. apud Athanaſium, Procopius præfatione in Gen. aliique.

Denique, qui Angelos vel ante, vel poſt aſpectabilem mundum creatos eſſe dixerunt, nullo Scripturæ teſtimonio, nulla alicujus Concilii definitione, nullo tandem plauſibili rationis momento opinionem ſuam valuerunt adſtruere: noſtra vero ſententia nedum multiplici auctoritate fulcitur, ſed & probabili congruentia ſuadetur. Uti namque ſcribit Doctor Angelicus in p. 1. q. 61. a. 3. in concl. „ Angeli ſunt quædam pars Univerſi; non enim conſtituunt „ per ſe unum Univerſum, ſed tam ipſi quam „ creatura corporea in conſtitutionem unius „ Univerſi conveniunt. Quod apparet ex or„ dine unius creaturæ ad aliam: ordo enim „ rerum ad invicem eſt bonum Univerſi: nul„ la autem pars perfecta eſt a ſuo toto ſepara„ ta. Non eſt igitur probabile, quod Deus, cu„ jus perfecta ſunt opera, ut dicitur Deut. 32., „ creaturam angelicam ſeorſum ante alias omnes „ creaturas creaverit. " Quæ profecto ratio evincit pariter, Angelos poſt corporeum mundum non eſſe creatos.

Objicies 1. Scriptura non obſcure demonſtrat, extitiſſe jam Angelos, quando Deus cœlum terramque creavit. Jobi enim c. 38. v. 7. juxta Septuaginta interpretationem habetur: *Quando facta ſunt ſidera, laudaverunt me voce magna Angeli mei*. Eodem etiam in lib. c. 40. v. 14. *Behemoth*, nempe diabolus, *principium viarum Dei* vocatur. Ante ergo creaturam omnem Angeli fuere producti.

Præterea Paulus ad Titum c. 1. v. 2. de vita æterna inquit: *Quam promiſit, qui non mentitur, Deus ante tempora ſecularia.* Ante igitur hujuſce mundi tempus & creationem extiterunt Angeli, quibus æterna vita promiſſa eſt.

Reſp. ad 1., quod in Hebræo, & in Vulgata noſtra legatur: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ, Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* At quomodocunque textus ille ſe habeat, aſſertioni noſtræ non officit. Cum enim prima die Angelos non ſine intelligentia productos eſſe dicamus, potuerunt illi ſtatim a ſuæ creationis initio omnipotentem Deum laude & jubilo celebrare; præſertim cum tertia die ſolidatio terræ contigerit, & quarta die ſidera ſint formata.

Ad alterum. Behemoth literali in ſenſu denotat elephantem, de quo dicitur v. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fænum quaſi bos comedet* &c. Vocatur vero *principium viarum Dei*; quia elephas inter terreſtria animalia præcipuum Dei opus eſt, propter ingentem præſertim corporis magnitudinem; unde & plurali numero *Behemoth*, *beſtiæ*, nuncupatur, quia inſtar eſt plurium beſtiarum.

Quod ſi volueris, myſtico in ſenſu per Behemoth deſignari diabolum; reponemus cum Gregorio M. in lib. 32. Mor. c. 33. *Principium viarum Dei Behemoth dicitur; quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.* Non ergo diabolus creaturas alias duratione, ſed dignitate præcedit.

Tandem in epiſtola ad Titum promiſſio æternæ vitæ idem denotat, ac prædeſtinationem æternumque decretum; uti locum illum exponunt

nunt Chryſoſtomus, & Anſelmus: de quo legendus eſt etiam Auguſtinus in lib. 12. de C. D. c. 16. Ita quoque in epiſt. ad Tim. 2. c. 1. v. 9. Paulus ait, quod nos a Deo vocati ſimus *ſecundum propoſitum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia.* Promiſſio igitur eſt ipſum miſerendi propoſitum: & ſicuti ex 2. teſtimonio deduci non poteſt, quod nos ante viſibilem mundum producti fuerimus; ita neque poteſt ex primo textu concludi, quod Angeli ante ejuſdem mundi molitionem extiterint.

Objicies 2. Patres quamplurimi aperte ſcripſerunt, Angelorum creationem mundum præceſſiſſe corporeum. Id namque ex Græcis aſſerunt Nazianzenus in Orat. 38. Baſilius hom. 1. in Hexam. Damaſcenus lib. 2. Orthod. Fidei c. 3. Auctor de div. nomin. c. 5. Maximus, Anaſtaſius Sinaita &c. quibus non pauci ex Latinis adhærent; Ambroſius nempe lib. 1. Hexam. c. 5. Hilarius contra Auxentium, Hieronymus in c. 1. epiſt. ad Titum, Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. de ſummo Bono c. 12. & Caſſiodorus collat. 8. c. 7.

Horum autem Doctorum aliqui valido etiam argumento probarunt, quod Angeli ſenſibilem creaturam duratione præceſſerint; 1. videlicet, quia alioquin Deus per plura ſæcula otioſus fuiſſet, & ſolus; quod de perfectiſſimo, ac beatiſſimo Ente nullatenus eſt dicendum: 2. quia Deus non Angelos, ſed viſibilia tantum propter hominem creavit: ergo Angelorum productio uſque ad aſpectabilis mundi conditionem differenda non fuit: 3. quia decebat, ut prius intelligens ſubſtantia crearetur, deinde ſenſibilis, ac tandem homo ex utriuſque generis natura compoſitus.

Reſp.

Reſp. concedendo, quod Doctores in præſenti aſſertione diſſentiant, ac propterea ſententiam noſtram inter fidei dogmata non recenſemus; uti ex infra dicendis in altera propoſitione patebit. Interim affirmamus, quod adductæ rationes nullius omnino ſint roboris: non quidem prima, alioquin ex ea deſcenderet, Angelos ab æterno fuiſſe creatos. Ergo ante Univerſitatis hujuſce molitionem ſola fuit æternitas, & ſolus Deus ex trium Perſonarum ſacroſancto conſortio perfecte beatus; qui etiam otioſus tunc fuiſſe idcirco non dicitur, quod pleniſſimo libertatis arbitrio ad extra producit.

Altera quoque ratio non concludit. Quamvis enim Deus omnia propter ſemetipſum primaria intentione fuerit operatus, neque Angelos propter homines creare voluerit; ordinantur tamen illi ad Univerſitatis hujuſce perfectionem, quæ ex cujuslibet ſpeciei natura conſurgit. Lege quæ ſuperius ex S. Thoma notavimus; ex quibus etiam tertia difficultas eluitur. Præterea, ut idem S. Doctor in reſp. ad 3. recte ſubjungit, *creaturæ corporeæ omnes ſunt unum in materia; ſed Angeli non conveniunt in materia cum creatura corporea. Unde creata materia corporalis creaturæ, omnia quodammodo ſunt creata; non autem creatis Angelis eſſet ipſum Univerſum creatum.*

Propoſitio 2. Præcedens aſſertio inter fidei dogmata recenſeri non poteſt.

Probatur. Et primo quidem allata ſuperius Scripturæ teſtimonia probabiliter tantum, non tamen certo demonſtrant, Angelos ſimul cum viſibili mundo fuiſſe creatos. Illud enim, quod in Geneſi legitur, exponi poteſt de corporeis ſolummodo rebus, quarum effectionem deſcri-

bere ibi Moſes aggreditur: poteſt igitur eſſe ſenſus, quod nulla corporalis creatura ante cœlum & terram extiterit. Idem quoque de Exodi teſtimonio dici poteſt, quatenus nempe cœlum & terra, & ſenſibilia omnia, quæ in eis ſunt, ſex dierum ſpatio ſint producta.

Neque id ex traditione evidenter oſtenditur. Patres enim hac de re diverſimode opinantur, ita nimirum ut eodem ferme numero alii aliis adverſentur. Accedit, quod Auguſtinus in lib. de Gen. ad lit. imperfecto c. 3., & Theodoretus loco ſupra citato aperte ſcripſerunt; prædictam propoſitionem certam de fide non eſſe.

Et quamvis Lateranenſe Concilium aſſeruerit, quod Deus *ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam* &c. Hæc tamen verba magnam quidem probabilitatem ſententiæ noſtræ conciliant, non tamen de fide eam eſſe definiunt. Notat enim Doctor Angel. in Opuſculo 23., quod mens Concilii fuerit Origenis errorem explodere, qui putavit, *quod Deus a principio creavit ſolas ſpirituales creaturas, & poſtea quibuſdam earum peccantibus creavit corpora, quibus quaſi quibuſdam vinculis ſpirituales ſubſtantiæ alligarentur: ac ſi corporales creaturæ non fuerint ex principali intentione Dei productæ, quia bonum eſſet, ſed ſolum ad puniendum peccatum ſpiritualium creaturarum* &c.

Ergo cum oppoſita Nazianzeni, aliorumque Doctorum opinio cum Origeniſtarum, Manichæorum, aliorumque hæreticorum errore nihil commune habeat, a Lateranenſi Concilio damnata dici non debet: præſertim quod non omnia, quæ in Conciliis affirmantur, tanquam definita fidei dogmata ſint habenda, ſed ea duntaxat, quæ ſunt definitionis objectum; & de qui-

quibus præcipue diſceptatur; uti omnibus eſt compertum.

Propoſitio 3. Probabilis eſt illa fere communis opinio, quod Angeli in Cœlo Empyreo ſint creati.

Probatur. Quamvis enim id certo nequeat demonſtrari; cum de loco creationis Angelorum nihil in Scriptura legatur, nihilque Patres affirmate docuerint: utcunque tamen ſuaderi ſententia noſtra poteſt non incongrua ratione. Et primo quidem, ut ait S. Thomas in p. 1. q. 61. a. 4. in concl., *ſic creatæ ſunt ſpirituales creaturæ, quod ad creaturam corporalem aliquem ordinem habent, & toti creaturæ corporali præſident. Unde conveniens fuit, quod Angeli in ſupremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præſidentes; ſive id dicatur Cœlum empyreum, ſive qualitercunque nominetur. Unde Iſidorus dicit, quod* ſupremum Cœlum eſt cœlum Angelorum; *ſuper illud Deuter. 10. cap.* Domini Dei tui eſt cœlum, & cœlum cœli.

Et ſane homo qui habitaturus erat in terra, in terra etiam eſt creatus: ergo pariter conveniens fuiſſe videtur, Angelos in Empyreo cœlo creari, quod propria illorum ſedes eſt, & ex quo non niſi peccati merito eorum aliqui ceciderunt.

Ergo tum boni, tum mali Spiritus in Empyreo ſunt creati. Cum enim omnes ab omnipotente Deo boni prodierint, nulla ratio ſuppetit, ut Angelos ab Angelis ante peccatum diſcretos quoad locum fuiſſe dicamus. Hoc etiam docuiſſe videtur Auguſtinus, cum in lib. 11. de C. D. c. 33. ſocietatem bonorum Angelorum a malorum ſocietate diſtinguat, & ait, *illam in Cœlis Cœlorum habitantem; iſtam inde dejectam.* Conſentit & Beda in c. 1. Geneſis,

ſis, & Strabo in eundem locum, quos laudat ſequiturque Magiſter in 2. d. 2., in quem locum S. Bonaventura eandem approbat opinionem. Eſtius denique, Gotti, Tournely, Juenin, aliique fere omnes hoc ipſum affirmant.

At objicies. Iſaiæ c. 14. v. 13. Lucifer ita loquens inducitur: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum* &c. Non igitur in ſupremo Empyrei cœlo Angeli, ſaltem refugæ, ſunt creati; alioquin non illuc appetiviſſent aſcendere. Unde Hieronymus lib. 6. in Iſaiam teſtimonium iſtud expendens, ait: *Si adhuc in cœlo poſitus, quomodo dicit: Aſcendam in cœlum?* atque ita reſpondet: *Quia legimus, Cœlum Cœli Domino; cum eſſet in Cœlo, ideſt in Firmamento, in Cœlum, ubi ſolium Domini eſt, cupiebat aſcendere*. In firmamento igitur, ſive in ſidereo Cœlo, quod Empyreo inferius eſt, creati ſunt Angeli.

Reſp., quod objecta Iſaiæ verba, ſi ſecundum literam accipiantur, non ad prævaricatorem Angelum, ſed ad Babyloniæ Regem attineant, qui ob ingentem ſuperbiæ æſtum ita hyperbolice loqui deſcribitur. Myſtico autem in ſenſu diabolo ejuſcemodi ſermo tribuitur; at Cœli nomine non corporeum cœlum, ſed celſitudo Divinitatis exprimitur. *Hoc enim cœlum eſt*, inquit S. Bonaventura in 2. d. 2. p. 2. dub. 2. *ad quod Lucifer aſcendere voluit, quia ad hanc celſitudinem. Hoc eſt ſuperius omni cœlo, non ſitu, ſed dignitate; & majus eſt omni cœlo, non extenſione, ſed ex ſua immenſitate, per quam eſt extra omnia non excluſus*. Ita pariter huic argumento reſpondet S. Thomas in p. 1. q. 61. a. 4. ad 3. Quod etiam ex ſequentibus verbis apertius confirmatur: *Similis ero Altiſſimo*. Cer-

Certum poſtremo non eſt, quod Hieronymus firmamenti nomine Cœlum ſidereum intellexerit, ut ab Empyreo cœlo diſtinctum. Nam conformiter ad ea, quæ dicta nunc ſunt, fortaſſis exponi ejus verba ſic poſſunt, quod Angeli in ſupremo cœlo corporeo conditi, per ſuperbiam tentaverint in Cœlum Sanctæ Trinitatis aſcendere. Et profecto S. Doctor paulo ante objecta verba affert id, quod Chriſtus ait Lucæ 10. 20. *Nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo:* & addit: *Ut unde ille cecidit per ſuperbiam, vos aſcendatis per humilitatem*. Per humilitatem vero non in ſidereum, ſed in Empyreum Cœlum aſcendimus: ergo ex Empyreo Lucifer cecidit, in quo etiam fuerat creatus.

Opponi hic etiam poſſet, quod Auguſtinus in lib. 3. de Gen. ad lit. c. 10. ſcribat, tranſgreſſores Angelos ante peccatum fuiſſe in ſuperiori parte aeris, quam a Cœlo aperte ſecernit. At ibi S. Doctor non affirmando, ſed dubitando, & aliorum potius ſententiam referendo ſic ait: *In qua fortaſſis parte, ſi fuerunt ante tranſgreſſionem ſuam tranſgreſſores Angeli cum Principe ſuo, nunc diabolo, tunc Archangelo: nam nonnulli noſtri non eos putant cœleſtes vel ſupercœleſtes Angelos fuiſſe; non mirum, ſi poſt peccatum in hanc ſunt detruſi caliginem* &c.

CA-

CAPUT XIII.

In quo de Angelorum gratia, beatitudine, merito, ac prædeſtinatione diſſeritur.

BReviter hoc in capite plurima complectemur, quæ tradere conſuevere Theologi de Angelis agentes ad ſupernaturalem gratiæ & gloriæ ordinem elevatis. Et quod gratia Angelis neceſſaria fuerit tum ad recte agendum, tum ad perſeverandum in bono, alibi erit opportunius oſtendendum: nunc vero tantum inquirimus, an illi ſanctificantem & actualem gratiam in ſui creatione receperint? in quo veteres inter ſe diſſenſere Doctores, jam tamen nunc affirmativam ſententiam, uti probabiliorem, recentiores Theologi vulgo propugnant, quibuſcum ſit

Propoſitio 1. Angeli omnes in primo ſuæ creationis inſtanti ſanctificantem gratiam acceperunt.

Probatur ex eo, quod ſub figura Regis Tyri de diabolo dicitur Ezech. c. 28. vv. 12. & ſequentibus: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti . . . & foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt . . . . in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Ergo ab ipſa ſui conditione Angeli habitualem gratiam habuerunt; nam ſapientia,

tia, & decor, atque perfectio, quas Scriptura commendat, ſanctitatem includunt. Neque obeſt, quod ſenſus iſte ſit myſticus; uti enim recte notavit Eſtius in 2. d. 3. §. 7., niſi ſub verborum illorum velamine ſublimior ſenſus alius eſſet abſconditus, profecto Spiritus Sanctus per Prophetam de Tyrio Rege non tam magnifice loqueretur.

Confirmatur ex Patribus. Et primo quidem Auguſtinus in lib. 11. de C. D. c. 11. de omnibus Angelis hæc inter alia ſcribit: *Nullo modo ſecundum aliquod temporis ſpatium prius erant illi ſpiritus tenebræ, quos Angelos dicimus; ſed ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt: non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo eſſent, & quoquo modo viverent; ſed etiam illuminati, ut ſapienter, beateque viverent*. Conſtat autem, quod Scriptura, & Patres ſicuti tenebrarum nomine peccatum, ita nomine lucis ſanctificantem gratiam expreſſerunt,

Et in ejuſdem operis lib. 12. c. 9. de bona Angelorum voluntate ait: *Et iſtam quis fecerat, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, ideſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis condens naturam, & largiens gratiam? Unde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam ſanctos Angelos fuiſſe credendum eſt*. At gratia, quæ vere bonam efficit voluntatem, non niſi ſanctificans eſt.

Denique in lib. de cor. & gra. c. 10. ſcribit: *Erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis, acciperent*. Atqui ad ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam ad præmium, non per natura-

turalia dona, neque per ſolam actualem gratiam poterant pervenire; ſola namque ſanctificans gratia eſt, cui gloria tanquam corona jure debetur.

Præterea Baſilius in Pſal. 32. ait: *Non enim infantes creati ſunt Angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, ſic facti ſunt digni qui Spiritum reciperent: ſed in prima conditione una cum ſubſtantiæ ſuæ quaſi mixtura infuſam habuere ſanctitatem*. Et Hieronymus ſuper Oſee c. 3. ait: *Dæmones creati ſunt in magna pinguedine Spiritus Sancti*. Idem docent etiam Cyrillus lib. *6.* in Jo. c. *6.* Damaſcenus lib. 2. de fide c. 3. Gregorius lib. 27. Mor. c. 23.

Quamvis autem ad id probandum nulla evidens ratio poſſit adduci; plures tamen a Theologis congruentiæ proferuntur, ex quibus unicam tantummodo ſeligemus, quæ ab Angelico Doctore proponitur in p. 1. q. *62*. a. 3. „ Videmus, *ait S. Doctor*, quod omnia, quæ proceſſu „ temporis per opus divinæ providentiæ creata „ a Deo operante ſunt producta, in prima rerum conditione producta ſunt ſecundum quaſdam ſeminales rationes, ut Auguſtinus dicit „ ſuper Gen. ad lit. ſicut arbores, & animalia, „ & alia hujuſmodi. Manifeſtum eſt autem, „ quod gratia gratum faciens, hoc modo comparatur ad beatitudinem, ſicut ratio ſeminalis in natura, ad effectum naturalem; unde „ 1. Joan. 3. gratia *ſemen Dei* nominatur. Sicut „ igitur ſecundum opinionem Auguſtini ponitur, quod ſtatim in prima creatione corporalis creaturæ, inditæ ſunt ei ſeminales rationes omnium naturalium effectuum, ita ſtatim a principio ſunt Angeli creati in gratia.

Objicies 1. Jobi c. 4. v. 18. ubi Vulgata no-

ſtra habet: *Et in Angelis ſuis reperit pravitatem:* Hebræi ſic legunt: *Et in Angelis ſuis non poſuit lucem;* gratiam videlicet. Legitur etiam Joan. 3. v. 8. *Ab initio diabolus peccat*. Non ergo Angeli in creationis ſuæ principio ſanctificantem gratiam habuerunt.

Reſp. ad 1. cum Cl. Eſtio in 2. d. 3. §. 8., quod ea verba Eliphaz Themanita protulerit, cujus, ſicut & aliorum amicorum Jobi, auctoritas nos urgere non poteſt. Deinde nomine lucis ibi perfecta & conſummata gratia denotatur: Hebraicum namque vocabulum תהלה *Taholah* lucem non qualemcunque, ſed excellentem ac præcipuam deſignare videtur, uti Vatablus advertit. Et iſte ſenſus reſpondere poteſt iis, quæ in Vulgata præcedunt: *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles:* vel ut habet Hebræus: *Ecce in ſervis ſuis non firmabit ſe;* id eſt, firmitatem, ſtabilitatem, perſeverantiam in bono non invenit, quia ſcilicet eam Angelis ab initio non conceſſit.

Ad alterum reſpondet Auguſtinus lib. 11. de C. D. c. 15. *Illud, quod* ab initio diabolus peccat, *non ab initio, ex quo creatus eſt, peccare putandus eſt, ſed ab initio peccati, quod ab ipſius ſuperbia cœperit eſſe peccatum*. Ex quo enim peccare ſemel incœpit, a peccando non deſtitit, & culpæ ſuæ pertinaciter adhæreſcit.

Objicies 2. Auguſtinus in lib. 1. de Gen. ad lit. c. 1. & in lib. 4. c. 22. & alibi ſcribit, quod angelica natura informis creata fuerit lucis & vitæ; poſtea vero fuerit formata per converſionem ad Deum, & lucis nomen acceperit. Item Gregorius in lib. 32. Mor. c. 18. de Lucifero inquit: *Habuit ergo foramina, ſed per ſuperbiæ vitium charitatis auro non ſunt repleta.*

Quo

Quo ſane non tantum oſtenditur, quod in gratia creatus ille non fuerit, verum & quod ſemper ea caruerit.

Reſp., quod Auguſtinus vel informem angelicam naturam appellet, quia gloriam in ſui creatione non habuit; vel ſi de gratia loquitur, dicendum eſt, illum ad naturæ ordinem attendiſſe, non temporis. Quod enim ad tempus attinet, *ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt*; inquit S. Doctor in lib. 11. de C. D. c. 11. Licet quoad naturæ ordinem Angelorum creatio converſionem ad Deum & gratiam anteceſſerit; & ideo in lib. 5. de Gen. ad lib. c. 5. ait ille: *Non itaque temporali, ſed cauſali ordine prius facta eſt informis formabiliſque materies, & ſpiritalis & corporalis* &c.

Gregorius autem non dicit, malos Angelos charitatem non accepiſſe, ſed eadem non fuiſſe *repletos*; quod ad gratiæ conſummationem, & beatitudinis plenitudinem referendum eſt. Unde ſubjungit. *Qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulavit, quia inter Angelorum corda charitatis igne ſuccenſa, clarus gloria conditionis extitit.*

Objicies 3. Gratia medium locum obtinet naturam inter, & gloriam: ergo ſicuti ordine temporis gratia gloriam præceſſit in Angelis, ut infra dicemus; ita eodem ordine natura gratiam anteceſſit.

Reſp. cum S. Thoma in p. 1. q. 62. a. 3. ad 3. „ quod quamvis gratia ſit medium inter „ naturam & gloriam, ordine naturæ, tamen „ ordine temporis in natura creata non debuit „ ſimul eſſe gloria cum natura; quia eſt finis „ operationis ipſius naturæ per gratiam adjutæ. „ Gratia autem non ſe habet ut finis operatio-

„ nis (quia *non eſt ex operibus*) ſed ut prin„ cipium bene operandi: & ideo ſtatim cum „ natura gratiam dare conveniens fuit.

Propoſitio 2. Angeli omnes dum creati ſunt, actuali etiam gratia fuerunt inſtructi.

Probatur. Uti Theologi communiter arbitrantur, Angeli non ſine aliqua voluntatis ſuæ diſpoſitione ſanctificantem gratiam acceperunt: atqui diſpoſitio illa ſine actuali gratia eſſe non potuit; alioquin proportionem ad ſanctificantem gratiam non dixiſſet. Ergo ſi in primo creationis inſtanti Deus Angelis ſanctificantem gratiam largitus eſt, largitus pariter eſt gratiam actualem. Major propoſitio ſic probatur: Duplex eſt modus, quo creatura poteſt ſanctificantem gratiam adipiſci, uti apparet in homine; alter quidem, quo infantes gratiam ſine propria cooperatione, ac per ſolam infuſionem a Deo recipiunt; alter vero, quo adulti libero pollentes arbitrio per proprios actus ad habitualem gratiam ſe diſponunt: poſterior modus iſte priori modo videtur eſſe perfectior, cum actionem, & libertatis uſum, meritumque de congruo ſecum includat. Ergo cum Angeli in ipſa creatione uti libertate potuerint, probabilius dicendum eſt, quod juſtificantem gratiam propria cooperatione meruerint; non ſine tamen actualis gratiæ beneficio. Quod docuiſſe videtur Baſilius in loco, quem ſupra citavimus: *Non enim infantes creati ſunt Angeli* &c.

Docet hoc etiam Auguſtinus dum in lib. de cor. & gra. c. 11. ſcribit: *Si autem hoc adjutorium ſine quo vel Angelo, vel homini, quum primum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſ-*

diſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.

Ex dictis apparet, quod licet in Angelis gratia ſanctificans, & gratia actualis eodem tempore fuerint, naturæ tamen ordine illa fuit iſta poſterior: unde in eodem temporis inſtanti, quo creati ſunt Angeli, per amoris actum ſeſe ad Deum convertere potuerunt, atque ita ſeipſos ad recipiendam ſanctificantem gratiam præparanrunt; ſicuti nempe perfecta contritio, & juſtificationis gratia licet eodem inſtanti temporis, diverſo tamen naturæ ſigno, reperiuntur in homine, dum ille ad Dominum ſe convertit.

Apparet ulterius, quod mali etiam Angeli in primo inſtanti meruerint. Unde Doctor Angel. in p. 1. q. 63. a. 5. ad 4. ait: „ quod Deus „ non diſcrevit inter Angelos ante averſionem „ quorundam, & converſionem aliorum, ut „ Auguſtinus dicit 11. de C. D. Et ideo om„ nes in gratia creati, in primo inſtanti me„ ruerunt: ſed quidam eorum ſtatim impedi„ mentum præſtiterunt ſuæ beatitudini, præ„ cedens meritum mortificantes; & ideo bea„ titudine, quam meruerant, ſunt privati.

Propoſitio 3. Angeli creati ſunt tum in naturali beatitudine, tum in beatitudine etiam ſupernaturali; quatenus tamen hæc ſolam gratiam includit, & inchoata vocatur; non quatenus conſummata dicitur, & in intuitiva Dei viſione conſiſtit.

Probatur 1. pars. Beatitudo naturalis miſeriam omnem excludit, ac ſimul naturalem Dei cognitionem & amorem importat: hæc enim eſt ultima intellectualis creaturæ perfectio, quam poteſt illa ſuis viribus obtinere: lege S. Thomam in p. 1. q. 62. a. 1. Atqui hoc in

ſtatu creati ſunt Angeli ; cum Deus eis id omne contulerit, quod naturalis ipſorum perfectio poſtulabat.

Accedit, quod primus homo naturali beatitudine in ſui conditione non caruit; habuit enim, ſine ulla miſeria, perfectam Dei cognitionem, & amorem, prout actus iſti tendunt in Deum, quatenus auctor eſt naturæ: non immerito igitur hoc idem de Angelo qui homini præſtat, ſimiliter eſt dicendum.

Probatur 2. pars. Patet ex dictis, quod Angeli in ſui creatione gratiam tum habitualem, tum actualem habuerint: non ergo in ſola naturali Dei cognitione, ac dilectione ſunt conditi; adeoque præter naturalem beatitudinem inchoata etiam gratiæ beatitudine præditi ſunt; & quidem homine lapſo perfectius, qui licet propter Dei timorem, & obſervantiam mandatorum ejus beatus eſſe dicatur; interius tamen exteriuſque in impedimenta multa & in multa incurrit incommoda, quibus illa felicitas plurimum quoad acceſſoria bona minuitur.

Hæc eſt illa beatitudo, de qua loquitur Auguſtinus in lib. de cor. & gra. c. 10. *Diabolus vero & Angeli ejus etſi beati erant, antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant; erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent; id eſt, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent.*

Probatur 3. pars ex relato nuper Auguſtini teſtimonio, in quo S. Doctor apertiſſime ſcribit, diabolum & Angelos ejus ita eſſe creatos,

ut plenitudinem beatitudinis non haberent. Atqui inter malos bonoſque Angelos nulla fuit in ipſa creatione diverſitas; uti recte notat etiam Ven. Scotus in 2. d. 5. q. 2. n. 14. Nullus igitur ex Angelis in conſummata beatitudine creatus eſt: quod idem Auguſtinus affirmat in lib. 11. de C. D. c. 11. eique adſtipulantur quoque Nazianzenus Orat. 42. Gregorius M. lib. 5. Mor. c. 38. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 3.

Deinde qui intuitive Deum videt, & conſummatam beatitudinem jam deguſtat, felici quadam neceſſitate in Dei amorem totus abripitur; ita nimirum ut non poſſit amplius per peccatum a Deo recedere. Atqui plures Angeli peccaverunt, plures autem etſi non peccaverint, libere tamen ſteterunt, & permanſionis ſuæ merito gloriam ſunt adepti. Major propoſitio perſpicue traditur a S. Thoma in p. 1. q. 62. a. 8., ubi rationem proferens, cur jam beati Angeli peccare non poſſint, hæc habet: „ Eorum „ beatitudo in hoc conſiſtit, quod per eſſen- „ tiam Deum videant: eſſentia autem Dei, eſt „ ipſa eſſentia bonitatis: unde hoc modo ſe „ habet Angelus videns Deum ad ipſum, ſicut „ ſe habet quicunque non videns Deum, ad „ communem rationem boni. Impoſſibile eſt „ autem, quod aliquis quidquam velit vel ope- „ retur, niſi attendens ad bonum; vel quod „ velit divertere a bono, inquantum hujuſmo- „ di: Angelus igitur beatus non poteſt velle „ vel agere, niſi attendens ad Deum; ſic au- „ tem volens, vel agens non poteſt peccare.

Propoſitio 4. Angeli Sancti conſummatam ſibi beatitudinem meruerunt; & quidem prius tempore, quam illam fuerint aſſecuti. In hac aſſertione Scotiſtæ ſimul pluresque Thomi-

ſtæ concordant.

Probatur 1. pars ex S. Thoma in p. 1. q. 62. a. 4., ubi ſcribit: „ Soli Deo beatitudo perfecta eſt naturalis, quia idem eſt ei eſſe & „ beatum eſſe: cujuslibet autem creaturæ eſſe „ beatum, non eſt naturale, ſed ultimus finis. „ Quælibet autem res ad ultimum finem per „ ſuam operationem pertingit; quæ quidem „ operatio in finem ducens, vel eſt factiva finis, quando finis non excedit virtutem ejus „ quod operatur propter finem, ſicut medicatio eſt factiva ſanitatis: vel eſt meritoria finis, quando finis excedit virtutem operantis „ propter finem, unde expectatur finis ex dono alterius. Beatitudo autem ultima excedit & „ naturam angelicam & humanam. Unde relinquitur, quod tam homo quam Angelus ſuam „ beatitudinem meruerint. “ Lege etiam Ven. Scotum. in 2. d. 5. q. 1.

Conſentit & Auguſtinus qui in lib. de cor. & gra. c. 11. de primo homine loquens, cui Deus adjutorium conceſſerat, per quod in bono poſſet perſeverare, ſi vellet, ait: *Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet. Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa eſſe manſuros.*

Probatur 2. pars. Angeli mereri non potuerunt per actus ipſam beatitudinem conſequentes; cum nequeat voluntas eodem ſimul inſtanti circa objectum aliquod contingenter & neceſſario, mutabiliter & immutabiliter operari.

Ut enim poſſit mereri voluntas, exigitur, quod ad eliciendum & non eliciendum actum ſit prorſus indifferens; id eſt, quod nedum eſſentialem, ſed & contradictionis habeat libertatem: at ſtatim ac voluntas conſummata beatitudine gaudet, ejuſcemodi indifferentia ac libertate privatur; cum ab eliciendo amoris actu erga Deum, quem clare videt, ceſſare non poſſit. Ergo cum oppoſiti actus nequeant eodem inſtanti in eadem voluntate conſiſtere, profecto conſequitur, quod meritorii Angelorum actus non potuerint conſummatam beatitudinem ſimul tempore comitari.

Et uti recte notat Angelicus Doctor in loco ſupra citato, liberum arbitrium *non ſimul poteſt informari gratia imperfecta, quæ eſt principium merendi; & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi. Unde non videtur eſſe poſſibile, quod ſimul fruatur, & ſuam fruitionem mereatur.*

Neque mereri potuerunt Angeli per actus, qui beatitudini ſucceſſerunt: ut enim ibidem ait S. Thomas: *Meritum habet rationem viæ ad finem: ei autem, qui jam eſt in termino, non convenit moveri ad terminum, & ſic nullus meretur quod jam habet.* Et re quidem vera meritum in Angelis ſtatum viæ fidemque requirit, quæ cum termino perfectaque viſione, ſive cum conſummata beatitudine, in eiſdem ſimul eſſe non poſſunt. Ergo non niſi per actus, qui beatitudinem tempore præceſſerunt, eandem SS. Angelos meruiſſe putandum eſt.

Obſervandum tamen eſt, quod non hic tempus accipimus, quatenus diviſibilis & ſucceſſiva corporearum rerum menſura vocatur: ut enim in p. 1. q. 62. a. 5. ad 2. S. Thomas advertit,

„ An-

tudinem ſunt adepti. Lege contextum. Patet igitur, quod etiam ex Auguſtini ſententia SS. Angeli per præcedentia merita ad beatitudinem pervenerunt.

Ex dictis eruitur, quod ſi proprie loqui velimus, prior illa matutina cognitio, quæ ſic improprie dicitur, a veſpertina cognitione non differat. Ut enim habet Angel. Doctor in q. 8. de veritate a. 16. ad 8. „ Angelus in principio ſuæ creationis non fuit beatus, nec „ per eſſentiam Deum vidit; unde nec cognitionem matutinam habuit, ſed habuit veſpertinam, & ex veſpertina profecit in matutinam. Unde ſignanter primus dies mane non „ dicitur habuiſſe, ſed primo veſpere, quod „ veſpere tranſivit in mane; quia lux illa ſpiritualis, quæ primo die facta dicitur, ſcilicet ſubſtantia angelica, ſtatim facta, ſeipſam „ cognovit, quod fuit cognitionis veſpertinæ, „ & hanc cognitionem retulit ad laudem Verbi, in quo facta eſt ei cognitio matutina; & „ propter hoc dicitur Gen. 1. Factum eſt veſpere, & mane &c.

At inſtabis. Auguſtinus omnia ſimul eodem inſtanti creata eſſe putavit, ſexque dies, qui numerantur in Geneſi, in Angelorum tantummodo cognitione repoſuit: ergo veſpertinam ſimul & matutinam cognitionem, adeoque & beatitudinem, in primo inſtanti Angeli habuerunt.

Reſp., quod licet Auguſtinus omnia ſimul creata fuiſſe cenſuerit, uti tamen ex dictis apparet, ordinem ille non negavit, qui ex diverſitate cognitionum in Angelo, & ex ipſa meriti ac præmii ratione conſurgit. Hinc Doctor Seraph. ait in 2. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. *Quod objicitur, quod ipſe, Auguſtinus, poſuit omnia ſimul*

ſimul facta : dicendum, quod verum eſt quantum ad eſſe naturale, ſed non quantum ab bene eſſe. Unde poſuit, quod lux corporalis ſimul eſſet, & diviſa eſſet a tenebris. Similiter quod non eſt ordo materialium dierum ; ſed bene poſuit ordinem ſpiritualium dierum, ſecundum ſeptemplicem converſionem intellectus angelici ſupra res.

Ut tandem aliquid breviſſime de Angelorum prædeſtinatione dicamus, primum pro certo ſupponimus, quod prædeſtinatio nedum pro hominibus, ſed & pro Angelis eſt admittenda: non enim illi in tempore gratiam obtinerent & gloriam, niſi a Deo prædeſtinati ad hujuſcemodi beneficia in æternitate fuiſſent. Quamvis cum Angeli obnoxii peccato miſeriæque non fuerint; non prorſus eodem modo lapſi hominis, & Angeli prædeſtinatio deſcribatur. Lege lib. 6. c. 1.

Poſtremo ad memoriam revocamus, Angelos prius ad gloriam, quam ad gratiam & merita fuiſſe prædeſtinatos; cum illud Ven. Scoti noſtri principium; *Ordinate volens finem & media, prius ad illum, quam ad iſta, ſuam dirigit intentionem ;* ſufficienti probabilitate non careat; uti in citato lib. 6. cc. præſertim 4. & 9., prolixius oſtenſum eſt. Quidquid vero hic ex Auguſtino nonnulli Scholaſtici ſolent objicere, in lib. de Chriſti gratia explanandum appoſite reſervamus.

ſtra habet: *Et in Angelis ſuis reperit pravitatem:* Hebræi ſic legunt: *Et in Angelis ſuis non poſuit lucem;* gratiam videlicet. Legitur etiam Joan. 3. v. 8. *Ab initio diabolus peccat*. Non ergo Angeli in creationis ſuæ principio ſanctificantem gratiam habuerunt.

Reſp. ad 1. cum Cl. Eſtio in 2. d. 3. §. 8., quod ea verba Eliphaz Themanita protulerit, cujus, ſicut & aliorum amicorum Jobi, auctoritas nos urgere non poteſt. Deinde nomine lucis ibi perfecta & conſummata gratia denotatur: Hebraicum namque vocabulum תהלה *Taholah* lucem non qualemcunque, ſed excellentem ac præcipuam deſignare videtur, uti Vatablus advertit. Et iſte ſenſus reſpondere poteſt iis, quæ in Vulgata præcedunt: *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles:* vel ut habet Hebræus: *Ecce in ſervis ſuis non firmabit ſe;* id eſt, firmitatem, ſtabilitatem, perſeverantiam in bono non invenit, quia ſcilicet eam Angelis ab initio non conceſſit.

Ad alterum reſpondet Auguſtinus lib. 11. de C. D. c. 15. *Illud, quod* ab initio diabolus peccat, *non ab initio, ex quo creatus eſt, peccare putandus eſt, ſed ab initio peccati, quod ab ipſius ſuperbia cœperit eſſe peccatum*. Ex quo enim peccare ſemel incœpit, a peccando non deſtitit, & culpæ ſuæ pertinaciter adhæreſcit.

Objicies 2. Auguſtinus in lib. 1. de Gen. ad lit. c. 1. & in lib. 4. c. 22. & alibi ſcribit, quod angelica natura informis creata fuerit lucis & vitæ; poſtea vero fuerit formata per converſionem ad Deum, & lucis nomen acceperit. Item Gregorius in lib. 32. Mor. c. 18. de Lucifero inquit: *Habuit ergo foramina, ſed per ſuperbiæ vitium charitatis auro non ſunt repleta.*

Quo

Quo ſane non tantum oſtenditur, quod in gratia creatus ille non fuerit, verum & quod ſemper ea caruerit.

Reſp., quod Auguſtinus vel informem angelicam naturam appellet, quia gloriam in ſui creatione non habuit; vel ſi de gratia loquitur, dicendum eſt, illum ad naturæ ordinem attendiſſe, non temporis. Quod enim ad tempus attinet, *ſimul ut facti ſunt*, *lux facti ſunt*; inquit S. Doctor in lib. 11. de C. D. c. 11. Licet quoad naturæ ordinem Angelorum creatio converſionem ad Deum & gratiam anteceſſerit; & ideo in lib. 5. de Gen. ad lib. c. 5. ait ille: *Non itaque temporali, ſed cauſali ordine prius facta eſt informis formabiliſque materies, & ſpiritalis & corporalis* &c.

Gregorius autem non dicit, malos Angelos charitatem non accepiſſe, ſed eadem non fuiſſe *repletos*; quod ad gratiæ conſummationem, & beatitudinis plenitudinem referendum eſt. Unde ſubjungit. *Qui in medio ignitorum lapidum perfectus ambulavit, quia inter Angelorum corda charitatis igne ſuccenſa, clarus gloria conditionis extitit.*

Objicies 3. Gratia medium locum obtinet naturam inter, & gloriam: ergo ſicuti ordine temporis gratia gloriam præceſſit in Angelis, ut infra dicemus; ita eodem ordine natura gratiam anteceſſit.

Reſp. cum S. Thoma in p. 1. q. 62. a. 3. ad 3. „ quod quamvis gratia ſit medium inter „ naturam & gloriam, ordine naturæ, tamen „ ordine temporis in natura creata non debuit „ ſimul eſſe gloria cum natura; quia eſt finis „ operationis ipſius naturæ per gratiam adjutæ. „ Gratia autem non ſe habet ut finis operatio-

„ nis (quia *non eſt ex operibus*) ſed ut prin-
„ cipium bene operandi: & ideo ſtatim cum
„ natura gratiam dare conveniens fuit.

Propoſitio 2. Angeli omnes dum creati ſunt, actuali etiam gratia fuerunt inſtructi.

Probatur. Uti Theologi communiter arbitrantur, Angeli non ſine aliqua voluntatis ſuæ diſpoſitione ſanctificantem gratiam acceperunt: atqui diſpoſitio illa ſine actuali gratia eſſe non potuit; alioquin proportionem ad ſanctificantem gratiam non dixiſſet. Ergo ſi in primo creationis inſtanti Deus Angelis ſanctificantem gratiam largitus eſt, largitus pariter eſt gratiam actualem. Major propoſitio ſic probatur: Duplex eſt modus, quo creatura poteſt ſanctificantem gratiam adipiſci, uti apparet in homine; alter quidem, quo infantes gratiam ſine propria cooperatione, ac per ſolam infuſionem a Deo recipiunt; alter vero, quo adulti libero pollentes arbitrio per proprios actus ad habitualem gratiam ſe diſponunt: poſterior modus iſte priori modo videtur eſſe perfectior, cum actionem, & libertatis uſum, meritumque de congruo ſecum includat. Ergo cum Angeli in ipſa creatione uti libertate potuerint, probabilius dicendum eſt, quod juſtificantem gratiam propria cooperatione meruerint; non ſine tamen actualis gratiæ beneficio. Quod docuiſſe videtur Baſilius in loco, quem ſupra citavimus: *Non enim infantes creati ſunt Angeli* &c.

Docet hoc etiam Auguſtinus dum in lib. de cor. & gra. c. 11. ſcribit: *Si autem hoc adjutorium ſine quo vel Angelo, vel homini, quum primum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa ceci-*

diſ-

diſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.

Ex dictis apparet, quod licet in Angelis gratia ſanctificans, & gratia actualis eodem tempore fuerint, naturæ tamen ordine illa fuit iſta poſterior: unde in eodem temporis inſtanti, quo creati ſunt Angeli, per amoris actum ſeſe ad Deum convertere potuerunt, atque ita ſeipſos ad recipiendam ſanctificantem gratiam præpararunt; ſicuti nempe perfecta contritio, & juſtificationis gratia licet eodem inſtanti temporis, diverſo tamen naturæ ſigno, reperiuntur in homine, dum ille ad Dominum ſe convertit.

Apparet ulterius, quod mali etiam Angeli in primo inſtanti meruerint. Unde Doctor Angel. in p. 1. q. 63. a. 5. ad 4. ait: „ quod Deus „ non diſcrevit inter Angelos ante averſionem „ quorundam, & converſionem aliorum, ut „ Auguſtinus dicit 11. de C. D. Et ideo om- „ nes in gratia creati, in primo inſtanti me- „ ruerunt: ſed quidam eorum ſtatim impedi- „ mentum præſtiterunt ſuæ beatitudini, præ- „ cedens meritum mortificantes; & ideo bea- „ titudine, quam meruerant, ſunt privati.

Propoſitio 3. Angeli creati ſunt tum in naturali beatitudine, tum in beatitudine etiam ſupernaturali; quatenus tamen hæc ſolam gratiam includit, & inchoata vocatur; non quatenus conſummata dicitur, & in intuitiva Dei viſione conſiſtit.

Probatur 1. pars. Beatitudo naturalis miſeriam omnem excludit, ac ſimul naturalem Dei cognitionem & amorem importat: hæc enim eſt ultima intellectualis creaturæ perfectio, quam poteſt illa ſuis viribus obtinere: lege S. Thomam in p. 1. q. 62. a. 1. Atqui hoc in

ſtatu creati ſunt Angeli; cum Deus eis id omne contulerit, quod naturalis ipſorum perfectio poſtulabat.

Accedit, quod primus homo naturali beatitudine in ſui conditione non caruit; habuit enim, ſine ulla miſeria, perfectam Dei cognitionem, & amorem, prout actus iſti tendunt in Deum, quatenus auctor eſt naturæ: non immerito igitur hoc idem de Angelo qui homini præſtat, ſimiliter eſt dicendum.

Probatur 2. pars. Patet ex dictis, quod Angeli in ſui creatione gratiam tum habitualem, tum actualem habuerint: non ergo in ſola naturali Dei cognitione, ac dilectione ſunt conditi; adeoque præter naturalem beatitudinem inchoata etiam gratiæ beatitudine præditi ſunt; & quidem homine lapſo perfectius, qui licet propter Dei timorem, & obſervantiam mandatorum ejus beatus eſſe dicatur; interius tamen exteriuſque in impedimenta multa & in multa incurrit incommoda, quibus illa felicitas plurimum quoad acceſſoria bona minuitur.

Hæc eſt illa beatitudo, de qua loquitur Auguſtinus in lib. de cor. & gra. c. 10. *Diabolus vero & Angeli ejus etſi beati erant, antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant; erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent, id eſt, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent.*

Probatur 3. pars ex relato nuper Auguſtini teſtimonio, in quo S. Doctor apertiſſime ſcribit, diabolum & Angelos ejus ita eſſe creatos, ut

ut plenitudinem beatitudinis non haberent. Atqui inter malos bonoſque Angelos nulla fuit in ipſa creatione diverſitas; uti recte notat etiam Ven. Scotus in 2. d. 5. q. 2. n. 14. Nullus igitur ex Angelis in conſummata beatitudine creatus eſt: quod idem Auguſtinus affirmat in lib. 11. de C. D. c. 11. eique adſtipulantur quoque Nazianzenus Orat. 42. Gregorius M. lib. 5. Mor. c. 38. Damaſcenus lib. 2. de fide c. 3.

Deinde qui intuitive Deum videt, & conſummatam beatitudinem jam deguſtat, felici quadam neceſſitate in Dei amorem totus abripitur; ita nimirum ut non poſſit amplius per peccatum a Deo recedere. Atqui plures Angeli peccaverunt, plures autem etſi non peccaverint, libere tamen ſteterunt, & permanſionis ſuæ merito gloriam ſunt adepti. Major propoſitio perſpicue traditur a S. Thoma in p. 1. q. 62. a. 8., ubi rationem proferens, cur jam beati Angeli peccare non poſſint, hæc habet: „ Eorum „ beatitudo in hoc conſiſtit, quod per eſſen- „ tiam Deum videant: eſſentia autem Dei, eſt „ ipſa eſſentia bonitatis: unde hoc modo ſe „ habet Angelus videns Deum ad ipſum, ſicut „ ſe habet quicunque non videns Deum, ad „ communem rationem boni. Impoſſibile eſt „ autem, quod aliquis quidquam velit vel ope- „ retur, niſi attendens ad bonum; vel quod „ velit divertere a bono, inquantum hujuſmo- „ di: Angelus igitur beatus non poteſt velle „ vel agere, niſi attendens ad Deum; ſic au- „ tem volens, vel agens non poteſt peccare.

Propoſitio 4. Angeli Sancti conſummatam ſibi beatitudinem meruerunt; & quidem prius tempore, quam illam fuerint aſſecuti. In hac aſſertione Scotiſtæ ſimul pluresque Thomi-

ſtæ concordant.

Probatur 1. pars ex S. Thoma in p. 1. q. 62. a. 4., ubi ſcribit: „ Soli Deo beatitudo per-„ fecta eſt naturalis, quia idem eſt ei eſſe & „ beatum eſſe: cujuslibet autem creaturæ eſſe „ beatum, non eſt naturale, ſed ultimus finis. „ Quælibet autem res ad ultimum finem per „ ſuam operationem pertingit; quæ quidem „ operatio in finem ducens, vel eſt factiva fi-„ nis, quando finis non excedit virtutem ejus „ quod operatur propter finem, ſicut medica-„ tio eſt factiva ſanitatis: vel eſt meritoria fi-„ nis, quando finis excedit virtutem operantis „ propter finem, unde expectatur finis ex do-„ no alterius. Beatitudo autem ultima excedit & „ naturam angelicam & humanam. Unde relin-„ quitur, quod tam homo quam Angelus ſuam „ beatitudinem meruerint. " Lege etiam Ven. Scotum. in 2. d. 5. q. 1.

Conſentit & Auguſtinus qui in lib. de cor. & gra. c. 11. de primo homine loquens, cui Deus adjutorium conceſſerat, per quod in bono poſſet perſeverare, ſi vellet, ait: *Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet. Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa eſſe manſuros.*

Probatur 2. pars. Angeli mereri non potuerunt per actus ipſam beatitudinem conſequentes; cum nequeat voluntas eodem ſimul inſtanti circa objectum aliquod contingenter & neceſſario, mutabiliter & immutabiliter operari.

Ut

Ut enim poſſit mereri voluntas, exigitur, quod ad eliciendum & non eliciendum actum ſit prorſus indifferens; id eſt, quod nedum eſſentialem, ſed & contradictionis habeat libertatem: at ſtatim ac voluntas conſummata beatitudine gaudet, ejuſcemodi indifferentia ac libertate privatur; cum ab eliciendo amoris actu erga Deum, quem clare videt, ceſſare non poſſit. Ergo cum oppoſiti actus nequeant eodem inſtanti in eadem voluntate conſiſtere, profecto conſequitur, quod meritorii Angelorum actus non potuerint conſummatam beatitudinem ſimul tempore comitari.

Et uti recte notat Angelicus Doctor in loco ſupra citato, liberum arbitrium *non ſimul poteſt informari gratia imperfecta, quæ eſt principium merendi; & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi. Unde non videtur eſſe poſſibile, quod ſimul fruatur, & ſuam fruitionem mereatur.*

Neque mereri potuerunt Angeli per actus, qui beatitudini ſucceſſerunt: ut enim ibidem ait S. Thomas: *Meritum habet rationem viæ ad finem: ei autem, qui jam eſt in termino, non convenit moveri ad terminum, & ſic nullus meretur quod jam habet.* Et re quidem vera meritum in Angelis ſtatum viæ fidemque requirit, quæ cum termino perfectaque viſione, ſive cum conſummata beatitudine, in eiſdem ſimul eſſe non poſſunt. Ergo non niſi per actus, qui beatitudinem tempore præceſſerunt, eandem SS. Angelos meruiſſe putandum eſt.

Obſervandum tamen eſt, quod non hic tempus accipimus, quatenus diviſibilis & ſucceſſiva corporearum rerum menſura vocatur: ut enim in p. 1. q. 62. a. 5. ad 2. S. Thomas advertit,

„ An-

„ Angelus eſt ſupra tempus rerum corporalium; „ unde inſtantia diverſa in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur niſi ſecundum „ ſucceſſionem in ipſorum actibus: non autem „ potuit ſimul in eis eſſe actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui eſt in „ fruitione; cum unus ſit gratiæ imperfectæ, „ & alius gratiæ conſummatæ. Unde relinquitur, quod oportet diverſa inſtantia accipi, in „ quorum uno meruerit beatitudinem, & in „ alio fuerit beatus.

Probabiliter tamen dicendum eſt, inſtantia illa, ſive morulas, quibus Angeli viatores pervenerunt ad terminum, vel a termino aberrarunt, *virtualiter* fuiſſe diviſibilia, & pluribus ſucceſſivi temporis partibus reſpondiſſe; quod ex Subtili etiam Doctore colligitur in 2. d. 5. q. 2. *In via ergo*, inquit ille, *fuerunt neceſſario moræ duæ: prima, in qua fuerunt uniformes in gratia, ſi volumus dicere, quod mali habuerunt gratiam, vel uniformes ſaltem in natura. Secunda mora, in qua adhuc in via exiſtentes fuerunt difformes, quod iſti ultimate meruerunt, & iſti ultimate demeruerunt. Tertia mora fuit diſtinctio formalis unius ab alio neceſſario. Probabile eſt etiam, quod in ſecunda mora, in qua fuerunt difformes in via, fuerunt multæ morulæ, quia mali peccaverunt multis ſpeciebus peccati; ſcilicet ſuperbia, odio, & invidia: & iſti actus ordinate, & non in eodem inſtanti fuerunt eliciti.*

Objicies. Auguſtinus in lib. 4. de Gen. ad lit. c. 24. docet, Angelos cum matutina cognitione fuiſſe creatos, qua res in ipſo Dei Verbo viderunt: atqui Angeli hujuſcemodi cognitione beantur: ergo non potuerunt illi per actus

bea-

beatitudinem præcedentes, beatitudinem promereri.

Reſp. cum S. Thoma in p. 1. q. 62. a. 1. ad 3. „ quod Angelus duplicem habet Verbi „ cognitionem; unam naturalem, & aliam glo„ riæ; naturalem quidem, qua cognoſcit Ver„ bum per ejus ſimilitudinem in ſua natura re„ lucentem; cognitionem vero gloriæ, qua co„ gnoſcit Verbum per ſuam eſſentiam. Et utra„ que cognoſcit Angelus res in Verbo; ſed na„ turali quidem cognitione, imperfecte; co„ gnitione vero gloriæ, perfecte. Prima ergo „ cognitio rerum in Verbo adfuit Angelo a „ principio ſuæ creationis; ſecunda vero non, „ ſed quando facti ſunt beati per converſionem „ ad bonum. Et hæc proprie dicitur *cognitio* „ *matutina*.

Juxta igitur Auguſtini mentem, dum facti ſunt Angeli res in Dei Verbo noverunt, per inditas tamen ſpecies, ſive ſimilitudines, & per participationem incommutabilis divinæ lucis; quatenus nempe hæc naturæ rationem, fideique lumen includit: ac proinde habuere tunc illi matutinam cognitionem improprie dictam, quæ beatos illos reddere non poterat. Poſtmodum vero Angelorum cognitio ad res ipſas terminata eſt, prout in propria natura ſubſiſtunt; & hujuſcemodi notitia, quia imperfectior & decoloratior eſt illa, qua res in Verbo videntur, veſpertina vocatur. Denique dum SS. Angeli a creaturarum cognitione in Dei amorem ac laudem converſi ſunt, & in bono opere perſtiterunt, cognitionem habuerunt proprie matutinam, qua Dei Verbum non amplius in participata luce ac ſimilitudine, ſed immediate & in ſeipſo viderunt, ſicque conſummatam beati-

tudi-

tudinem ſunt adepti. Lege contextum. Patet igitur, quod etiam ex Auguſtini ſententia SS. Angeli per præcedentia merita ad beatitudinem pervenerunt.

Ex dictis eruitur, quod ſi proprie loqui velimus, prior illa matutina cognitio, quæ ſic improprie dicitur, a veſpertina cognitione non differat. Ut enim habet Angel. Doctor in q. 8. de veritate a. 16. ad 8. „ Angelus in prin-
„ cipio ſuæ creationis non fuit beatus, nec
„ per eſſentiam Deum vidit; unde nec cogni-
„ tionem matutinam habuit, ſed habuit veſper-
„ tinam, & ex veſpertina profecit in matuti-
„ nam. Unde ſignanter primus dies mane non
„ dicitur habuiſſe, ſed primo veſpere, quod
„ veſpere tranſivit in mane; quia lux illa ſpi-
„ ritualis, quæ primo die facta dicitur, ſcili-
„ cet ſubſtantia angelica, ſtatim facta, ſeipſam
„ cognovit, quod fuit cognitionis veſpertinæ,
„ & hanc cognitionem retulit ad laudem Ver-
„ bi, in quo facta eſt ei cognitio matutina; &
„ propter hoc dicitur Gen. 1. Factum eſt ve-
„ ſpere, & mane &c.

At inſtabis. Auguſtinus omnia ſimul eodem inſtanti creata eſſe putavit, ſexque dies, qui numerantur in Geneſi, in Angelorum tantummodo cognitione repoſuit: ergo veſpertinam ſimul & matutinam cognitionem, adeoque & beatitudinem, in primo inſtanti Angeli habuerunt.

Reſp., quod licet Auguſtinus omnia ſimul creata fuiſſe cenſuerit, uti tamen ex dictis apparet, ordinem ille non negavit, qui ex diverſitate cognitionum in Angelo, & ex ipſa meriti ac præmii ratione conſurgit. Hinc Doctor Seraph. ait in 2. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. *Quod objicitur, quod ipſe*, Auguſtinus, *poſuit omnia*

ſimul

ſimul facta : dicendum, quod verum eſt quantum ad eſſe naturale, ſed non quantum ab bene eſſe. Unde poſuit, quod lux corporalis ſimul eſſet, & diviſa eſſet a tenebris. Similiter quod non eſt ordo materialium dierum ; ſed bene poſuit ordinem ſpiritualium dierum, ſecundum ſeptemplicem converſionem intellectus angelici ſupra res.

Ut tandem aliquid breviſſime de Angelorum prædeſtinatione dicamus, primum pro certo ſupponimus, quod prædeſtinatio nedum pro hominibus, ſed & pro Angelis eſt admittenda: non enim illi in tempore gratiam obtinerent & gloriam, niſi a Deo prædeſtinati ad hujuſcemodi beneficia in æternitate fuiſſent. Quamvis cum Angeli obnoxii peccato miſeriæque non fuerint; non prorſus eodem modo lapſi hominis, & Angeli prædeſtinatio deſcribatur. Lege lib. 6. c. 1.

Poſtremo ad memoriam revocamus, Angelos prius ad gloriam, quam ad gratiam & merita fuiſſe prædeſtinatos; cum illud Ven. Scoti noſtri principium; *Ordinate volens finem & media, prius ad illum, quam ad iſta, ſuam dirigit intentionem ;* ſufficienti probabilitate non careat; uti in citato lib. 6. cc. præſertim 4. & 9., prolixius oſtenſum eſt. Quidquid vero hic ex Auguſtino nonnulli Scholaſtici ſolent objicere, in lib. de Chriſti gratia explanandum appoſite reſervamus.

CA-

CAPUT XIV.

De deſertoribus Angelis, eorumque peccato, & pœna. Hic quoque de præcipua Luciferi dignitate aliquid adnotatur.

ANgelos omnes a Deo in gratia fuiſſe creatos, & ab initio non peccaſſe, præcedens caput oſtendit: nunc autem exercitationis cauſa paucis inquiremus, an abſolute loquendo prima angelicæ voluntatis operatio potuerit eſſe peccatum? Negant id Thomiſtæ, Scotiſtæ vero fieri potuiſſe defendunt. Poſthæc agendum etiam erit de peccato, quo primum a Deo Angeli receſſerunt, ſubindeque de Luciferi dignitate tractabitur, ac poſtremo de ſupplicio diſſeremus, quod refugis omnibus Deus inflixit.

Propoſitio 1. Potuit Angelus in primo ſuæ conditionis inſtanti peccare.

Probatur. Potuit Angelus in primo inſtanti mereri, uti etiam Thomiſtæ concedunt: ergo etiam peccare tunc potuit. Eadem enim utriuſque rei ratio eſſe videtur; præſertim cum ad merendum aliquid aliud requiratur, quod non requiritur ad peccandum. Meritum enim cum in ſe bonum ſit, ex integra cauſa pendet; peccatum vero quod malum eſt, ex quolibet defectu derivat.

Deinde potuit Angelus in ſecundo inſtanti peccare, ſicuti reipſa peccavit: ergo in primo

etiam

etiam peccare illum potuiſſe dicendum eſt. Quidquid enim ad peccatum Angeli in ſecundo inſtanti concurrit, id quoque potuit in primo inſtanti concurrere; perfectus ſcilicet rationis uſus, plena libertas arbitrii, & paratus Dei concurſus ad hoc, ut quodcunque Angelus vellet, eligeret.

Denique ſi Angelus non potuiſſet in primo inſtanti delinquere, id ex eo præcipue ortum eſſet, quod uti Thomiſtæ dicunt, operatio, quæ cum rei exiſtentia ſimul incipit, ab agente proveniat, a quo res ipſa accipit, ut exiſtat; proindeque peccatum adſcribendum Deo fuiſſet. Atqui ratio iſthæc eſt infirma prorſus & nulla; ex ea namque deſcenderet, quod in primo inſtanti neque mereri Angelus potuiſſet; cum nemo per operationem agentis, ſed per propriam mereatur. Tum quia cum Angelus in eligendo non paſſive, ſed active ſe habeat; potuiſſet ei malitia moralis attribui, ex cujus non exiſtentia, ſed libera determinatione manaſſet.

Opponunt Thomiſtæ. Tibia ſi curva a ſua cauſa oriatur, & claudicet; ejuſcemodi defectus generanti principio imputatur: ergo ſi voluntas in primo inſtanti peccaret, id foret Deo tanquam cauſæ tribuendum. Neque obſtat, quod creata voluntas agendi libertate fruatur; ut enim inquit Emin. Gotti in tract. 9. de Angelis q. 8. dub. 5. §. 1. n. 2. „ Res cum primo incipit eſſe, nullam poteſt inclinationem, „ aut diſpoſitionem habere ad operandum, niſi „ eam quam ab Auctore ſuæ naturæ inditam „ accepit: ex quo ſequitur, quod talis opera„ tio etiamſi a libero arbitrio libere operante „ procedat, debeat eſſe conformis principiis „ illis, quæ dantur ab Auctore naturæ; ideo-

„ que

„ que in ipſum, ut ſpecialem motorem in re
„ operantem referri, nedum quoad entitatem
„ tantum, ſed quoad omnem modum, & con-
„ ditionem, quam habet.

At ex dictis diſcrimen apparet. Cum enim tibia virtutem producendi rectitudinem, vel curvitatem in ſeipſa non habeat; idcirco ſi ab initio claudicaret, defectus ille eſſet generanti principio tribuendum. At voluntas libero ſemper potitur arbitrio; & licet ab Auctore ſuo inditam ad bonum inclinationem acceperit, poteſt tamen, quotieſcunque velit, ab ea deflectere. Neque Deus unquam creatam voluntatam ad actum ſpeciali & phyſica præmotione determinat; uti in lib. 4. c. 10. probatum eſt. Ceterum etſi Deus creatam voluntatem ad agendum phyſice præmoveret, ſicuti hoc non obſtante in ſequentibus inſtantibus peccavit Angelus, ita potuiſſet etiam a ſui conditione peccare, quin aliquando malitia Deo tribuenda fuiſſet. Nam quod laudatus Cardinalis ibidem adjungit: *Operatio cum eſſe rei incipiens, eſt quaſi corollarium, & complementum actionis producentis eam in eſſe*; falſum omnino eſt. Actio enim, qua res in eſſe producitur, tranſiens eſt, & in rei productæ libertate non manet; operatio vero, quæ a voluntate procedit, eſt immanens, ſemperque ab inſita libertate dimanat, etſi in principio edita ſupponatur. Hinc res producta relate ad primam actionem paſſive ſe habet, ejuſque terminus appellatur, at relate ad ſecundam ſe gerit active, diciturque operandi principium.

At inſtat ibidem Gotti n. 5. „ Non potuiſ-
„ ſet Angelus in primo inſtanti habere actum
„ defectuoſum in voluntate, quin in ea præ-
„ ceſſiſſet pro priori naturæ dictamen defectuo-
„ ſum

„ ſum proponens illi bonum ut appetendum
„ abſque debita conſideratione; in hoc enim
„ ſolum potuit eſſe Angeli peccatum: ſed ſi ad
„ primum dictamen formandum fuiſſet Ange-
„ lus non a ſua voluntate, ſed unice a Deo
„ motus, non potuiſſet proponere objectum
„ cum tali defectu, quin talis defectus refunde-
„ retur in Deum, & conſequenter etiam de-
„ fectus ex eo in voluntate ſecutus; cum de-
„ fectus voluntatis ſupponat defectum intelle-
„ ctus proponentis practice, ut appetibile id,
„ quod vel non eſt appetibile, vel non eo mo-
„ do appetendum eſt: ergo &c.

Reſp., falſum imprimis eſſe, quod præcedere debeat dictamen practicum in intellectu, ut voluntas agere valeat; neque verum eſſe, quod dictamen illud niſi fuerit vitioſum, voluntas peccare non poſſit. Ut enim voluntas in actus ſuos erumpere valeat, ſatis eſſe videtur, quod ſimplex objecti apprehenſio ſive cognitio in intellectu præcedat. Deinde etſi judicium practicum ad id requiri dicatur, poteſt judicium illud eſſe rectum, ſimulque poteſt peccare voluntas; nam hæc facultas libera eſt, quæ intrinſecus aliunde non cogitur, ſed ſeipſam determinat ad agendum. Neque oporteret, ut Angelus a Deo unice, & ſpecialiter moveretur, ut ſibi dictamen in primo inſtanti formaret; poſſet enim voluntas Angeli, ſimplici rerum cognitione ſuppoſita, ſuum applicare intellectum, ut hoc vel illud in particulari judicium ac dictamen eliceret; poſſetque ſimul ita mereri, vel etiam pro ſua libertate peccare. At hæc de ſubtili magis, quam utili quæſtione dicta ſufficiant.

Secundo nunc loco quærimus, quodnam pec-

catum illud fuerit, quod reipſa primo Angeli perpetrarunt. Hac autem in re uti certum ratumque ſupponimus, quod primum Angeli crimen neque ex ignorantia, neque ex prava ulla inclinatione manaverit. Cum enim ille plenus ſapientia, perfectuſque decore ſit conditus, ſicut inquit Ezechiel c. 28. v. 11., quomodo in ipſo vel ignorantia, vel qualiſcunque defectus pro prævia peccati cauſa poterit aſſignari? Primum ergo Angeli peccatum ex libera ipſius voluntate deſcendit, quæ cum ex nihilo facta ſit, poteſt a rectitudine deviare. Unde ſcribit Auguſtinus in lib. de Cor. & gra. c. 11. *Angeli ſancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.* Ignorantia igitur, & error, & in malum prava propenſio, ſicut & quæcunque miſeria, non uti peccati cauſa præceſſit, ſed uti pœna ſecuta eſt. Quo poſito ſit

Propoſitio 2. Primum perduellium Angelorum peccatum ſuperbia fuit, quam præſumptionis appellant. Hæc eſt fere communis aſſertio, quam ita Seraph. Doctor exponit in 2. d. 5. a. 1. q. 1. *Peccatum diaboli initiatum eſt in præſumptione; ſtatim enim ut ſuam vidit pulchritudinem, præſumpſit. Conſummatum eſt in ambitione; quia præſumens de ſe, appetiit quod omnino ſupra ſe fuit, & ad quod pervenire non potuit. Sed confirmatum eſt invidiæ, & odii averſione; quia ex quo obtinere non potuit quod appetiit, ideo invidere cœpit, & affectu odii contraire. Et in hoc firmatum eſt, quia hæc omnino ipſum a Deo ſeparavit, & perfectum obſtaculum poſuit, ſicut perfecta charitas perfecte Deo jungitur.*

Probatur itaque theſis. Iſaiæ 14. v. 11. my-

ſtice

ſtice de diabolo legitur : *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*. Tobiæ 4. v. 14. de ſuperbia dicitur : *In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*. Et in 1. ad Tim. c. 3. v. 6. ſcribit Apoſtolus, quod oporteat, Epiſcopum eſſe *non neóphytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli* : id eſt, uti Chryſoſtomus ait hom. 10. in 1. ad Timotheum, *ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit*.

Quod vero peccatum illud ſuperbiæ genus fuerit, quod *præſumptionis*, & *tumoris* a Seraph. Doctore vocatur, evidentius ex eo patet, quod habet Ezechiel c. 28. v. 17. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti : Deus ego ſum*. De diabolo etiam ſcribit Auguſtinus in lib. 11. ſuper Gen. c. 23. *Sed factus continuo ſe a luce veritatis avertit ſuperbia tumidus, & propriæ poteſtatis delectatione corruptus*. Cyrillus etiam lib. 2. in Iſaiam ait : *Cecidit tumida & turgida cogitans, & honorem ac gloriam ſoli ſummæ naturæ congruentem rapere cupiens, quantum molimine & vi & animo poterat*.

Deinde illud fuit primum Angelorum peccatum, ex quo peccata alia ſuam traxerunt originem : atqui ejuſcemodi non invidia fuit, non odium, non aliud quodcunque peccatum, ſed ſola præſumptionis ſuperbia, qua nequam Spiritus inordinate propriam pulchritudinem & excellentiam adamarunt : Ut enim ſcribit Auguſtinus in lib. 11. de Gen. ad lit. c. 14. *Nonnulli dicunt, ipſum ei*, Angelo, *fuiſſe caſum a ſupernis ſedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro hæc invidia ſequitur ſuperbiam, non præcedit : non enim cauſa ſuperbiendi eſt invidentia, ſed cauſa invidendi ſuperbia*.

bia. Cum igitur ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ; invidia vero ſit odium felicitatis alienæ, quod inde naſcatur, ſatis in promptu eſt. Amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne ſibi coæquentur; vel ſuperioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quiſque ſuperbus eſt. Merito initium omnis peccati ſuperbiam Scriptura definivit &c.

Ex dictis apparet etiam, quod in diabolo Dei odium ſuperbiam fuerit ſubſecutum. *Diabolus enim ſuperbus*, inquit S. Bonaventura in fine laudatæ quæſt., *non valens conſcendere, ſed compulſus deſcendere, odit Deum juſtum, & invidet excellentiæ ejus*.

Oppones. Videtur, quod primum Angelorum peccatum ſit in ingratitudine reponendum: ex quo enim illi Deum laudare, eidemque gratias referre ceſſarunt, tunc primum etiam deliquerunt.

Reſp. ex S. Bonaventura citato in loco, „ quod ingratitudo poteſt dici dupliciter; ſcilicet negative, vel privative: negative, quando quis non eſt gratus Deo, ut debet; & ſic eſt circumſtantia omnium peccatorum. Privative, quando non tantum non eſt gratus, immo contrarie movetur; ut puta quando cogitat de beneficio, ut eſt beneficium, & parvipendit beneficium, vel benefactorem, & ſic eſt ſpeciale peccatum. Sic autem non peccavit diabolus, quia non cogitavit de beneficiis Dei, inquantum erant Dei, ſed inquantum erant bona propria, & ideo elatus eſt. “ Deinde licet ea peccata ſimul conjuncta eſſe potuerint, elatio tamen ſive ſuperbia cau-

cauſalitatis ſaltem ordine ingratitudinem antevertit; ideo namque diabolus in gratiarum actione non perſtitit, quia ſibi prius perverſe complacuit.

Obiter hic notamus, quod nonnulli Scholæ Doctores licet abſolute non negent, primum Angelorum peccatum fuiſſe ſuperbiam; cenſent tamen, immodicum eorum affectum potius dicendum eſſe *philautiam*, ideſt amorem nimiæ complacentiæ erga ſeipſum, & *luxuriam ſpiritualem*. Arbitrantur enim, ſuperbiam proprie dictam eſſe immoderatum affectum propriæ excellentiæ relate ad alios, quibus ſuperbus præeſſe deſiderat: atqui diabolus primum peccati actum in ordine ad ſe, non in ordine ad alios perpetravit: ergo vere & proprie per ſuperbiam non deliquit.

At de puro putoque nomine longas inire lites nobis omnino non vacat. Putamus autem, in ea ſui ipſius complacentia, quam diabolus habuit, formaliter ac proprie contentam fuiſſe ſuperbiam, quam S. Bonaventura *præſumptionis tumoriſque* vocavit. *Ab illo*, inquit Auguguſtinus in lib. 12, de C. D. c. 6., *qui ſumme eſt averſi ad ſeipſos converſi ſunt, qui non ſumme ſunt; & hoc vitium quid aliud, quam ſuperbia nuncupatur?* Quod ſi uſitato communique vocabulo Scriptura & Patres primum Angeli peccatum ſuperbiam fuiſſe dixerunt, cur non id a nobis proprie erit intelligendum?

Aliud autem ſuperbiæ genus eſt, quo perverſe noſmetipſos amamus; aliud vero, quo ex perverſo propriæ excellentiæ amore & delectatione, aliis præeſſe contendimus: illa prior eſt, & *præſumptio* dicitur; iſta vero poſterior, & ex Seraph. Doctore *ambitio* nominatur. Inquit enim ille: *Su-*

perbia præſumptionis , & tumoris primum fuit generatione ; ſuperbia ambitionis primum fuit conſummatione . De vario etiam ſuperbiæ genere agit Gregorius M. in lib. 23. Mor. c. 6.

Quod ſi quæſieris , quid diabolus per ambitionis ſuperbiam appetiverit : Reponemus cum S. Bonaventura in q. 2. citati articuli , quod *appetiit aliis præeſſe , ſua tamen auctoritate , ita quod ſine meritis, & ſine Datore , ita quod nulli ſubeſſet* . Et uti ſcribit Ambroſius in Pſal. 118. *Ipſe ſibi ad beatam vitam ſufficere voluit*. Quod etiam Auguſtinus affirmat in lib. 12. de C. D. c. 1. *Sua poteſtate potius delectati , velut bonum ſuum ſibi ipſi eſſent , a ſuperiore communi omnium beatifico Bono ad propria defluxerunt* . Cum igitur id ſoli Deo ſit proprium , idcirco in Scripturis aſſeritur , quod diabolus divinam æqualitatem temeraria ambitione cupiverit . Hinc inſanæ voces illæ , quæ de ipſo myſtice intelliguntur , Iſaiæ 14. v. 14. *Similis ero Altiſſimo*. Et Ezech. 28. v. 2. *Deus ego ſum*.

Poſtquam itaque diabolus propria excellentia fuit illectus , ſe ſtatim avertit a Deo, qui eſt ultimus finis , convertitque ſe finaliter ad ſeipſum : & ideo poſt veſpertinam cognitionem , cum rebelles Angeli in Dei amore ac laude non perſtiterint , matutina cognitione ac beatitudine caruerunt .

Firmatur iſthæc aſſertio & explanatur ex eo, quod ait Angel. Doctor in p. 1. q. 63. a. 3.
„ *Diabolus* in hoc appetiit indebite eſſe ſimilis
„ Deo , quia appetiit ut finem ultimum bea-
„ titudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ po-
„ terat pervenire , avertens ſuum appetitum a
„ beatitudine ſupernaturali , quæ eſt ex gratia
„ Dei . Vel ſi appetiit ut ultimum finem il-

„ lam

„ lam Dei ſimilitudinem quæ datur ex gratia,
„ voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ,
„ non ex divino auxilio ſecundum Dei diſpo-
„ ſitionem. Et hoc conſonat dictis Anſelmi
„ qui dicit lib. de caſu diaboli c. 4., quod *ap-*
„ *petiit illud*, *ad quod perveniſſet*, *ſi ſletiſſet*.
„ Et hæc duo quodammodo in idem redeunt;
„ quia ſecundum utrumque appetiit finalem
„ beatitudinem per ſuam virtutem habere; quod
„ eſt proprium Dei. Quia vero quod eſt per
„ ſe, eſt principium & cauſa ejus, quod eſt per
„ aliud; ex hoc etiam conſecutum eſt quod ap-
„ petiit aliquem principatum ſuper alia habe-
„ re; in quo etiam perverſe voluit Deo aſſi-
„ milari.

Neque propterea Scotiſtarum ſententiam improbamus, quam laudat etiam Cl. Eſtius in 2. d. 6. §. 6. Opinantur enim illi, peccaſſe Angelos appetendo Dei æqualitatem ſecundum naturam, ſive ipſiſſimam Divinitatem, non efficaci & abſoluta voluntate, cum id impoſſibile ſibi eſſe cognoſcerent; ſed voluntate conditionata & complacentiæ, qua rationalis creatura optare ſibi aliquid poteſt, etſi percipiat, quod id abſolute obtinere non valeat; juxta quod ſcribit Ariſtoteles in 3. Ethic. c. 2. *Electio quidem non eſt impoſſibilium. Voluntas autem eſt impoſſibilium*, *puta immortalitatis*. Imo ſubjungimus, quod potuerit etiam diabolus primæ ſuperbiæ merito, per quam tumida & turgida cogitans in propria celſitudine nimium oblectatus eſt, mentis cæcitatem incurrere, & in portentoſam hanc aliam devenire ſuperbiam, qua perfectam æqualitatem cum ipſa Dei natura abſolute & efficaciter exoptaret. Id enim præſeferre expreſſe videntur Scripturarum & Pa-

trum oracula, quorum nonnulla ſupra retulimus, alia vero apud Maſtrium, Fraſſen, alioſque Scoti diſcipulos legi facile poterunt.

Sed juvat hic Subtiliſſimi Doctoris verba proferre, ut evidentius hac in re mens ejus appareat. *Actus volendi*, inquit ille in 2. d. 3. q. 1., *duplex eſt; ſimplex, & ſub conditione: vel ſub aliis verbis, quod eſt volitio efficax, & volitio complacentiæ. Exemplum: alio modo infirmus ſperans ſanitatem vult ſanitatem; & alio modo infirmus deſperans de ſanitate: vult enim ſanitatem primus, quia ſperat ſanitatem ſibi poſſibilem, & habet reſpectu ejus volitionem efficacem, & imperativam mediis inducentibus ſanitatem. Sed deſperans vult volitione complacentiæ, ſed non volitione efficaci, quia non quærit media inducentia ſanitatem pro eo, quod non exiſtimat, illam poſſe ſibi acquirere; & iſta volitio ſecunda, quæ eſt ſolum complacentiæ, poteſt eſſe impoſſibilis: & hoc ſufficit ad meritum, & demeritum; quia etſi ſit impoſſibile, tamen poteſt conſentire illi pleno conſenſu: & iſta volitione potuit Angelus appetere æqualitatem divinam.*

Addendum præterea eſt, quod abſolute loquendo potuiſſent Angeli per Divinitatis appetitionem primo peccare; etſi nullus in eorum intellectu error, nullaque excæcatio præceſſiſſet. *Si arguas*, inquit Ven. Scotus ibidem, *a quo intellectu hoc oſtenditur, errante, vel non errante? Dico quod a non errante, ſed ſimplici, cujus non eſt errare, nec verum dicere: iſtæ enim ſunt conditiones intellectus componentis, & dividentis; & non oportet, intellectum ante appetere, hoc componere cum hoc, vel dividere hoc ab illo: ſed ſufficit voluntatem comparare hoc ad il-*

illud ; quia voluntas eſt vis collativa, ſicut intellectus ; & per conſequens poteſt conferre quæcunque ſimplicia ſibi oſtenſa, ſicut intellectus poteſt.

Sed ſatis ſuperque de Angelorum peccato tractatum eſt: nunc autem de Luciferi dignitate breviter diſſeremus, circa quod communem amplectimur opinionem ajentes, illum Angelorum omnium Principem extitiſſe. Jobi namque c. 40. v. 14. legitur de Behemoth, ſub cujus typo diabolus deſignatur: *Ipſe eſt principium viarum Dei.* Quod ita exponitur a Gregorio M. in lib. 32. Mor. c. 23. *Principium viarum Dei Behemoth dicitur ; quia nimirum cum multa creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.*

Signatur quoque diabolus, ejuſdemque præcipua dignitas ſub figura Regis Aſſur apud Ezechielem c. 31. v. 8. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei . . . . Omne lignum paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini ejus.* Quæ verba laudato in loco ita Gregorius interpretatur: *Iſta arbor in paradiſo Dei tot quaſi condenſas frondes habuit, quot ſub ſe poſitas ſupernorum ſpirituum legiones attendit. Qui idcirco peccans ſine venia damnatus eſt, quia magnus ſine comparatione fuerat creatus.* &c.

Præterea Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 10. diabolum appellat *Eminentiſſimum Angelorum:* Bernardus in ſerm. 1. de Adventu eundem vocat *Angelorum primum:* Gregorius denique hom. 34. in Evang. illum *cunctis agminibus Angelorum prælatum* fuiſſe pronunciat. Idem quoque tradunt Origenes, Chryſoſtomus, Hieronymus, aliique, quos ſecuti ſunt ſententiarum Magiſter, omneſque Theologi; imo uti

uti notat Eſtius in 2. d. 6. §. 10., hæc eſt communis Fidelium perſuaſio.

At dices. Supremus Angelorum Ordo Seraphim eſſe videtur: atqui Ezech. 28. v. 14. diabolus non Seraph, ſed Cherub expreſſe vocatur: *Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei* &c.

Reſp., quod ex objecto textu perſpicue deducatur, diabolum ex primo Seraphim Ordine cecidiſſe; ſequitur enim poſt relata verba: *In medio lapidum ignitorum ambulaſti*. Fuit ergo ille Seraph charitatis dono præcellens; ut enim ait citato in loco Gregorius: *In medio ignitorum lapidum ambulavit, quia inter Angelorum corda charitatis igne ſuccenſa clarus gloria conditionis extitit*.

Dum itaque Cherub Lucifer appellatur, dignitas ejus non minuitur, ſed monſtratur. *Idcirco iſte*, inquit Gregorius, *Cherub dicitur, quia tranſcendiſſe cunctos ſcientia non dubitatur... & quia comparatione claritatis ſuæ ceterorum claritatem adumbraſſe creditur, ipſe extentus, & protegens fuiſſe perhibetur*.

Notat denique S. Thomas in p. 1. q. 63. a. 7. ad 1. „ quod Cherubim interpretatur *plenitudo ſcientiæ*; Seraphim autem interpretatur „ *ardentes*, ſive *incendentes*. Et ſic patet, quod „ *Cherubim* denominetur a ſcientia, quæ po„ teſt eſſe cum mortali peccato: *Seraphim* vero denominatur ab ardore charitatis, quæ „ cum mortali peccato eſſe non poteſt: & ideo „ primus Angelus peccans non eſt denominatus „ *Seraphim*, ſed *Cherubim*.

Luciferi vero peccatum Angelis aliis, qui ceciderunt, peccandi cauſa fuit, non quidem cogendo, ſed ſuggerendo, ſuoque exemplo ad conſimi-

ſimilem ſuperbiam excitando: & ideo Apoc. 12. v. 4. de dracone magno, qui diaboli figura eſt, legitur quod *cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*; id eſt, magnam multitudinem Angelorum. Legitur etiam Ezech. 31. v. 9. de Rege Aſſur, ſub quo diabolus exprimitur: *Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiſo Dei*. Quo ſane ardens inferiorum Angelorum deſiderium demonſtratur, ut de propria excellentia ſuperbirent, ſicut eis Lucifer peccando ſuggeſſerat.

Advertit inſuper S. Bonaventura in 2. d.5. a.2. q. 2. „ quod tam converſionem beatorum An„ gelorum, quam averſionem dæmonum pec„ catum Luciferi præceſſit; nam ipſe prius ſu„ perbivit, & ſuperbiam ſuam omnibus indica„ vit: & extunc quidam adhæſerunt ſibi; alii „ vero reſtiterunt, & adhæſerunt Deo, & ſi„ mul iſti lux, illi tenebræ facti ſunt. Quam„ vis enim ſimul fuerit Angelorum converſio, „ & dæmonum averſio; non tamen ſimul cum „ peccato Luciferi.

Præterea cum SS. Thoma, & Bonaventura, aliiſque Theologis veriſimiliter arbitramur, aliquos ex quolibet Ordine Angelos corruiſſe. Apoſtolus enim Rom. 8. inter humanæ ſalutis hoſtes, Angelos, Principatus, & Virtutes enumerat; in epiſt. quoque 1. ad Cor. 15. addit etiam Poteſtates. Cum vero Lucifer unus ex Seraphim fuerit, dum ipſe cecidit, probabile eſt, quod alios etiam ex eodem Ordine ſecum traxerit in ruinam. Cherubim, Throni, & Dominationes paſſim a Theologis ſub Ordine Seraphim collocantur; ergo ſi ceciderunt iſti, cecidiſſe & illos non improbabile eſt. Denique Archangeli ſub Angelorum nomine poſſunt intel-

telligi: proindeque quamvis certi aliquid hac in re definiri non poſſit; non tamen ſine congruenti ratione defenditur, aliquos ex ſingulis Ordinibus Angelos cecidiſſe.

Obſervat hic apposite Doctor Angelicus in p. 1. q. 63. a. 9. ad 3. „ quod in Sacra Scriptura nomina quorundam Ordinum, ut Seraphim, & Thronorum dæmonibus non attribuuntur; quia hæc nomina ſumuntur ab ardore charitatis, & ab inhabitatione Dei, quæ non poſſunt eſſe cum peccato mortali. Attribuuntur autem eis nomina Cherubim, Poteſtatum, & Principatuum; quia hæc nomina ſumuntur a ſcientia & potentia, quæ bonis maliſque poſſunt eſſe communia.

Remanet nunc poſtremo, ut de dæmonum pœna loquamur. Illi itaque Dei gratia & viſione privati, ex parte intellectus cognitionem omnem affectivam, ut ajunt, quæ Dei amorem inducit, penitus amiſerunt. Nam qui ſumma cum pertinacia Deum oderunt, ſicuti charitate, ita & cognitione, quæ ad charitatem tendit, in perpetuum ſpoliantur. Cognitio vero, quæ ſpeculativa tantummodo eſt, & per revelationem habetur, licet eis non penitus ſit adempta, eſt tamen plurimum imminuta; *quia*, inquit S. Thomas in p. 1. q. 64. a. 1., *de hujuſmodi ſecretis divinis tantum revelatur eis, quantum oportet; vel mediantibus Angelis, vel* per aliqua temporalia divinæ virtutis effecta, *ut dicit Auguſtinus 9. de Civ. D. Non autem ſicut ipſis ſanctis Angelis, quibus plura & clarius revelantur in ipſo Verbo*. Et hæc quidem dicta ſunt de cognitione, quæ deſcendit ex gratia; nam ea, quam per ipſam naturam Angeli conſequuntur, neque ablata, neque in dæmoni-

bus

bus diminuta eſt; ut idem S. Doctor eo in loco demonſtrat; licet ex propria ſuperbia, invidia, & perverſa voluntate quoad naturales etiam veritates plerumque illi fallantur.

Punitur & dæmonum voluntas tali tantaque obduratione, ut ad bonum nequeant amplius revocari. Cœleſti namque charitate nudati, & in termino conſtituti, peccato immobiliter inhæreſcunt, & continuo peccant; etſi demereri non poſſint, quia non ſunt amplius viatores. Adducenda hic eſt S. Thomæ doctrina, qua id de quo agimus, clarius explicatur: inquit enim ille in p. 1. q. 64. a. 2. ad 5. „ quod „ actus dæmonis eſt duplex; quidam ſcilicet „ ex voluntate deliberata procedens; & is pro„ prie poteſt dici actus ejus. Et talis actus dæ„ monis ſemper eſt malus; quia etſi aliquando „ aliquod bonum faciat, non tamen bene facit: „ ſicut dum veritatem dicit ut decipiat, & „ dum non voluntarie credit & confitetur, ſed „ rerum evidentia coactus. Alius autem actus „ dæmonis eſt naturalis, qui bonus eſſe poteſt, „ & atteſtatur bonitati naturæ; & tamen tali „ bono actu abutitur ad malum.

Denique dum de noviſſimis ſuo loco tractabimus, oſtendemus, diabolum & angelos ejus miris ſed veris modis corporeo igne torqueri, quin eorundem pœna ullum unquam habitura ſit finem. Quod vero ad dæmonum locum attinet, affirmamus, quod licet eorum pars una intra ima terræ viſcera ſit concluſa, ipſorum tamen plures in aerea nunc regione verſentur. Scribit enim Paulus ad Epheſios c. 6. v. 12. quod colluctatio nobis ſit *adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœle-*

ſti-


ſtibus: quod exponens Hieronymus in Commentario ait: *Hæc omnium Doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui cœlum & terram medium dividens inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus*. Scribit etiam Apoſtolorum Princeps in epiſt. 1. c. 5. v. 8. *Quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Idem demum evincitur ex Jobi c. 1., ex Matth. c. 8. &c.

Sed objicies quod ait Petrus in epiſt. 2. c. 2. v. 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari*. Scribit quoque Judas in epiſt. ſua v. 6., quod Deus eoſdem *angelos, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit*. Omnes ergo dæmones intra terræ viſcera detinentur.

Verum hæc aſſertioni noſtræ non obſtant, primo quia inferni & tartari & caliginis nomine poteſt inferior hæc & vaporifera aeris regio denotari; uti ajunt Auguſtinus in Pſal. 149. & Gregorius in lib. 13. Mor. c. 17. aliique. Deinde dici poteſt, quod Deus quidem ſtatim poſt peccatum dæmones omnes in profundum abyſſi dejecerit; permiſit vero poſtmodum, ut inde eorum plures exirent, ut juxta ſapientiſſimam ipſius ordinationem protoparentes noſtros omneſque eorum filios exercerent. Lege S. Thomam in p. 1. q. 64. a. 4. in concl.

Tandem in inferno omnes mali Angeli eſſe dicuntur, quia infernali pœna vexantur etiam illi, qui in profunda terræ parte non manent: ſicuti nempe Angeli Sancti etiam quando in corporeo cœlo non ſunt, Cœli ſemper gaudiis oble-

lectantur, Deique clara viſione fruuntur. Unde Ven. Beda ſcribens in Jacobi c. 3. ait, quod diabolus & angeli ejus *ubicunque vel in aere volitant, vel in terris aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuarum ſemper ſecum ferunt tormenta flammarum, inſtar febricitantis, qui etſi in lectis eburneis, etſi in locis ponatur apricis, fervorem tamen vel frigus inſiti ſibi languoris evitare non poteſt.* Conſule, quæ habet Angelicus Doctor loco ſupra laudato ad 5.



CAPUT XV.

Num poſſint dæmones veri nominis patrare miracula?

MIraculum ſi Chriſtianæ Scholæ uſum attenderis, opus illud dicitur, quod naturæ totius ſuperat facultatem, & præter communem rerum curſum efficitur: ita ſi Sol obſcuretur, ſi mortuus reſurgat, ſi libera futura noſcantur; miracula ea eſſe vulgo cenſentur. Sunt vero nonnulla, quæ naturæ quidem vires excedunt, & in ſolum Deum principaliter & proprie referuntur, ut ex. gra. animarum creatio, & Sacramentorum effectus; at quia uſitatiora ſunt, & præter conſuetum naturæ ordinem non contingunt, ideo neque miraculorum nomine deſignantur.

Ex quibus evidenter evincitur, quod nulla creatura ex ſeſe poſſit patrare miracula; cum virtus ejus finita ſit, & naturæ legibus concludatur. Poteſt autem Deus miracula faciens nedum Sanctorum Angelorum, & hominum, ſed dæmonum etiam miniſterium adhibere; atque id aliquando contingere, præſertim in punitione malorum, docere videtur Auguſtinus Enar. in Pſal. 77. ad illud verſus 49: *Immiſſiones per angelos malos*. Nunc vero de eo, quod difficilius eſt, breviter diſſeremus; an nempe poſſit Deus per dæmonem miracula operari, ut ita pravi mores, falſaque dogmata confirmentur.

Propoſitio. Non poteſt Deus in perverſæ doctri-

ctrinæ vitiorumque commendationem per diaboli miniſterium vera patrare miracula.

Probatur. Deus qui prima Veritas eſt, falſitatis teſtis eſſe non poteſt; ergo neque poteſt miracula per dæmonem operari, qui ea ut falſum aliquid teſtaretur, hominibus exhiberet. Deus enim ab inſtituto ſemel rerum ordine non recedit, niſi per ſupernaturale & inſuetum opus hominibus loqui aliquid & ſignificare voluerit. Ut enim ait Auguſtinus in epiſt. 102. q. 6. *Sicut humana conſuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. Et ſicut ſermoni humano verba nova, vel minus uſitata moderate; ac decenter aſperſa ſplendorem addunt, ita in factis mirabilibus congruenter aliquid ſignificantibus, quodammodo luculentior eſt divina eloquentia.*

Atqui Deus illud hominibus loqui velle cenſetur, quod Angelus vel homo loquitur, cujus miniſterio miraculum hominibus demonſtratur. Unde Marci c. ult. v. ult. de Chriſti Apoſtolis hæc leguntur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.*

Ne igitur Deum falſitatis teſtem & cauſam faciamus, dicendum profecto eſt, quod nequeat ille miniſtrante dæmone in confirmationem erroris vera patrare miracula.

Et ſane ex Scripturis apparet, quod proprius miraculorum uſus ſit, ut morum ſanctitas, & fidei veritas evidentius confirmetur. Hinc loquens Joſue c. 3. v. 10. de miraculo quo Iſrael per Jordanem ſicco erat veſtigio tranſiturus, *In hoc, inquit, ſcietis, quod Dominus Deus vivens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum &c.* Elias quoque im-

petraturus a Domino ignem de cœlo ad holocauſti conſummationem contra cultores Baal, ait Regum lib. 3. c. 18. v. 36. *Oſtende hodie, quia tu es Deus Iſrael, & ego ſervus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Ipſe deníque Chriſtus oſtendens Baptiſtæ diſcipulis ſe verum eſſe Meſſiam, ait Lucæ c. 7. v. 22. *Euntes renuntiate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt* &c. Non ergo ullatenus poteſt error, aut vitium vero miraculo confirmari; quod & alibi ſæpenumero Scriptura nos docet.

Tandem Auguſtinus, cujus auctoritate Novatores oppoſitum defendentes potiſſimum abutuntur, ſententiam noſtram paſſim inſinuat, ac præcipue in lib. 22. de C. D. c. 8., ubi de Protomartyris Stephani, aliorumque Martyrum miraculis hæc inter alia ſcribit: *Cui niſi huic fidei atteſtantur iſta miracula, in qua prædicatur Chriſtus reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne.*

Objicies 1. Poſſunt mali homines vera miracula facere, uti clare colligitur ex eo quod Matth. 7. v. 22. multi in die illa dicturi ſint Chriſto: *Domine nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Atqui quod poteſt Deus per impios qui ſunt membra diaboli, poteſt & per ipſum diabolum exhibere, verum nempe miraculum: nulla inſuper apparet ratio, cur non pro erroris confirmatione diabolus ejuſque membra vero miraculo abuti non poſſint: ergo.

Reſp., quod verba illa, *in nomine tuo*, ſatis aperte demonſtrent, non ad erroris, ſed ad veritatis confirmationem poſſe Deum per impios miracula operari, ad ſui nempe Nominis laudem

dem & honorem: quod idcirco diſpoſuit, ut Satan quandoque per malos etiam homines debelletur, ac præclara fidei virtus omnibus eluceſcat, & ne infirmi in miraculis potius, quam in juſtitiæ operibus, majora Dei dona eſſe putarent. Etſi autem poſſet aliquis abuti miraculo, quod Deus per ipſum pro veritatis atteſtatione ante patraſſet, ita nimirum ut poſtea falſam ex tali facto doctrinam adſtruere niteretur; id tamen ex ejus iniquitate deſcenderet, non ex intentione Dei, qui non niſi ſuum ſermonem ſupernaturali ſigno confirmat, quando reipſa miracula patrat.

Objicies 2. Non minus ad miraculorum donum, quam ad donum prophetiæ nova ac ſupernaturalis Dei operatio requiri videtur: atqui poteſt quis prophetare eo fine, ut homines a vera religione removeat, Legitur enim Deut. c. 13. v. 1. & ſeq. *Si ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur deos alienos. Non audies verba prophetæ illius.* &c. Ergo ſimiliter poterit Deus vel per impios, vel per diabolum vera miracula edere etiam ad hoc ut firmentur errores.

Reſp. quod Deut. textus intelligi poſſit de ariolis, ſive divinis, qui aliquando vera prænunciant, non quia a Deo afflati ſunt, ſed quia per eos diabolus interdum futuros quoſdam prædicit eventus, qui naturalem ejus ſcientiam non excedunt. De his ergo diaboli prophetis laudatus textus affirmat, quod ſi vera prænuncient, velintque propterea ad idolorum cultum Fideles inducere, ſtatim morti tradendi ſint;

 quia

quia non ad confirmationem erroris, ſed ad fidei noſtræ & charitatis probationem permittit Deus, quod illi vera quandoque prædicant.

Poteſt & de Propheta Domini idem textus intelligi: at dicendum tunc erit, quod nequeat ille eodem inſtanti, quo movetur a Deo ad aliquod ſupernaturaliter cognoſcendum, abuti ejuſcemodi dono, ut alios a veritate ſeducat: nam tum prophetiæ, tum miraculorum gratia non eſt permanens habitus, ſed impreſſio tranſiens, quæ in hominis poteſtate non reſidet: proindeque non poteſt homo hujuſcemodi dona a Deo recipere, dum confirmare intendit errorem; quia ut ſuperius oſtenſum eſt, id divinæ veritati, & ordinationi repugnat; & ut inquit Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 12. v. 3. *Nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu.* Exponendus igitur textus erit de eo, qui afflante Deo vera prædiceret, ac poſtea ex veritate prædictionis ſuæ anſam arripere vellet a vera religione alios avocandi.

Objicies 3. Exodi cc. 7. & 8. legitur, quod malefici non ſecus ac Moyſes Propheta Domini, virgas in ſerpentes, & aquam in ſanguinem converterint, nec non ex fluviis ranas eduxerint. Atqui miracula iſthæc malefici eo fine patrarunt, ut veri Numinis divinitati palam obſiſterent. Poteſt ergo ſimiliter Deus per dæmones ad confirmationem erroris verum aliquod exhibere miraculum.

Reſp., quod Moſes quidem vera miracula edidit, Magi vero non item: ille enim invocato Dei nomine ad ipſius gloriam mirabilia operatus eſt; iſti vero *incantationibus ſuis* id tantummodo præſtiterunt, quod naturalem dæmonis potentiam aſtutiamque non ſuperat. Et

ideo

ideo ad hujuſce rei ſignificationem, virgam Aaron virgas Magorum devoraſſe, & iſtos in ſciniphum eductione defeciſſe, objecto in loco narratur; additurque præterea c. 8. v. 19. quod *dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic*.

Affirmandum eſt itaque, quod vel Magi intuentium oculos dæmonum ope fefellerint, eis objiciendo ſpeciem ſerpentium, ſanguinis, & ranarum, ſalva eorum corporum remanente ſubſtantia: vel quod dæmones ſubtracta ab oculis virga & aqua, veros ſubſtituerint dracones, & ſanguinem, & ranas, quas aliunde transvehere potuerunt; ita nonnulli putarunt Interpretes. Vel denique dicendum eſt cum S. Auguſtino quæſt. 21. in Exodum, & S. Thoma, & Bonaventura, quibus nos etiam aſſentimur, quod veri ſerpentes, & ſanguis, & ranæ procreari a dæmonibus cito potuerunt ex occultis ſeminariis rationibus, quarum vim illi optime norunt, eaſdemque transferre, colligere, contemperare invicem ita valent, ut ſubito in ſuos erumpant effectus. Et hoc eſt quod Schola dicit, dæmones ea opera facere non creando, ſed applicando *activa paſſivis*, & naturales formas, non ſua, ſed ſeminum virtute, de aliis in alias tranſmutando. Lege Seraph. Doctorem in 2. d. 7. a. 2. q. 2. Neque hoc ſine Dei permiſſione contingit, cum privato jure dæmones diſponere de quacunque re creata non poſſint.

Objicies 4. Scribit Apoſtolus in 2. ad Theſſal. c. 2. v. 9. quod Antichriſti adventus futurus ſit *in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus*. De eodem etiam Apoc. c. 13. v. 13. ita prædicitur: *Fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram*

in conſpectu hominum. Atqui hæc omnia per Antichriſtum fient ad adſtipulandum mendacium & errorem. Unde nihil obſtat, quod primo in loco Paulus mendacia Antichriſti prodigia dixerit; ita namque vocantur, non quia vera non erunt, ſed quia in errorem inducent; nam immediate poſt ſequitur v. 10.: *Et in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt* &c.

Reſp., quod Antichriſtus ſigna & prodigia facturus eſſe dicatur, non quia vera miracula per Dei virtutem efficiet; ſed quia *ſecundum operationem ſatanæ*, qui in fine mundi ad electorum coronam, iniquorumque vindictam modico tempore ſolvendus erit, ſuis ille præſtigiis ita mirabilis apparebit, ut plures homines ad ea ſigna, tanquam ad magna miracula, valde ſtupebunt. Hinc ejuſcemodi ſigna naturalem ſatanæ potentiam non excedent: nam quod ignis e cœlo deſcendat, poteſt permittente Deo ſatan efficere; poteſt enim ille naturales cauſas ita diſponere, ut in cœlo accendatur ignis, accenſumque poteſt in terram ſua virtute deducere; ſicuti poteſt & ſurſum humanum corpus evehere, ex ſimulacris reſponſa proferre, & hujuſcemodi quamplura præſtare, quæ non niſi localem motum a dæmone fieri poſſe requirunt.

Dici inſuper poteſt, quod Antichriſti prodigia per ſenſuum illuſionem talia videbuntur; ideoque quod mendacia ea vocet Apoſtolus non tantum quia in errorem inducent, ſed etiam quia Antichriſtus mortalium ſenſus ſit per phantaſmata decepturus. Quocunque vero in ſenſu vox illa ſumatur, nihil ex argumento concluditur; cum ut ſuperius dictum eſt, ea ſigna non dæmonum, ſed hominum dumtaxat facultatem excedent.

Au-

Aream tandem hic S. Bonaventuræ doctrinam adjungendam eſſe cenſemus, quam tradit ille in 2. d. 7. a. 2. q. 2., ut vera Dei miracula a dæmonum, Magorumque mirabilibus ſecernantur. Etſi enim tum illa, tum iſta, inquit Seraph. Doctor, „ conveniant in materia; „ differunt tamen ex parte principalis agentis, „ & ex parte miniſtri, & ex parte finis, & „ ex parte facti. Ex parte principalis agentis: „ nam in miraculis divinis operatur Agens po„ tentiæ infinitæ & ſupra naturam: in mira„ culis dæmonum operatur virtus naturæ mul„ tipliciter adjuta per naturas alias. Ex parte „ miniſtri: nam Dei miracula fiunt per pu„ blicam juſtitiam ſecundum veritatem, vel „ ſecundum apparentiam: ſed miracula dæmo„ num fiunt per privatos contractus, & quæ„ dam arcana. Et hoc eſt, quod dicit Augu„ ſtinus *in lib.* 83. *qq. q.* 79. quod boni fa„ ciunt miracula per publicam juſtitiam; hoc „ eſt, per fidem veram, quæ vere juſtificat, „ quam veritas omnibus prædicat: mali Chri„ ſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ, quia fidem „ habent, & videntur habere opera; ſed Ma„ gi per privatos contractus: & hoc eſt quod „ dicitur in Exodo *cc.* 7. & 8. per incantatio„ nes & arcana quædam. Hujus ſignum eſt, „ quod ibi ſunt tenebrarum opera, quia qui „ male agit, odit lucem. Ex parte finis diffe„ runt ſimiliter; quia miracula Dei fiunt ad „ utilitatem, & divinam gloriam; ſed Mago„ rum ad deceptionem, & gloriam vanam, & „ excellentiam; unde ſunt quaſi inutilia. Diffe„ runt etiam ex parte facti, quia dæmones fa„ ciunt hujuſmodi vilia, & inutilia; miracu„ la vero divina ſunt valde neceſſaria, & uti-

 „ lia.

„ lia. Unde dæmones maxime faciunt ranas, „ & ſerpentes; quia hæc de facili producun- „ tur operatione naturæ, & quia divino judi- „ cio magis permittuntur ad prioris facti me- „ moriam. " Reliqua ſcitu digniſſima apud eundem Seraph. Doctorem legere poterunt Candidati.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER X.

In quo de aſpectabilis Mundi productione tractatur.

JAM ſatis ſuperque in præcedente libro de Angelis egimus , prout Scholæ methodus exigebat : ſupereſt modo , ut de viſibilis mundi primordiis diſſeramus ; qua in re quædam breviter attingemus , quædam etiam miſſa faciemus eorum quæ fuſius Philoſophi tradere conſueverunt . Cum vero juxta Moſis hiſtoriam rerum geneſim expoſituri ſimus , opus nobis eſſe putavimus , ut in ipſo hujuſce libri veſtibulo monſtraremus , quanti facienda ſit narratio Moſis præ aliarum nationum hiſtoriis , etſi ſolæ critices regulæ præ oculis habeantur : nam quod libri Moſis Deo ſint afflante conſcripti , divinaque auctoritate ſint præditi , in Operis noſtri calce trademus .

CAPUT I.

Quod dum de Mundi primordiis agitur, Moſis hiſtoria merito Profanorum hiſtoriis præferatur.

PRopoſitio. Dum de prima mundi generatione diſſeritur, libri Moſis ſæcularibus hiſtoriis merito præferuntur; etiamſi ad divinam inſpirationem qua conditi ſunt, rationem nullam habere volueris.

Probatur. Et ſane in Moſe ejuſque ſcriptis ubique reſplendent pietas, conſilium, ſapientia, omnis denique virtus, quæ in ingenuo deſiderari poteſt Hiſtorico. Ex aqua enim extractus, & a Pharaonis filia adoptatus, aulicos recuſavit honores, ut Gentis ſuæ calamitati conſuleret: huic autem officio tam ardenter incubuit, ut Regis in ſe iram accenderit, vitæque ſuæ non niſi fuga providere potuerit.

A Deo poſtmodum vocatus, ut ex Ægypti captivitate populum Iſrael liberaret, eidemque ſanctiſſimas leges ederet ab omnibus commendatas; arduum ejuſcemodi munus feliciter adimplevit. Suam inſuper aggreſſus hiſtoriam, ea conſcripſit, quæ vel erant recenti adhuc Majorum traditione firmata, vel coram innumera hominum multitudine contigerunt; proindeque ab omnibus redargui facile potuiſſet erroris, ſi quid a veritate alienum recenſere tentaſſet.

Ejus quoque ingenuitas in eo evidenter apparet, quod neque ſuæ, neque ſuorum pecca-

ta reticeat. Hinc narrat ille, ſe in Cades prævaricatum fuiſſe ad Aquas Contradictionis, & ob id extra Terram Chanaan obiiſſe. Aaronis etiam crimen in aurei vituli conflatione non tacet; quamvis ille pontificali eſſet dignitate ſpectabilis, ſibique eſſet conſanguinitate propinquus: ita & Mariæ ſororis ſuæ murmur, pœnamque commemorat; & Hebræorum denique omnium bona & mala, prout occaſio poſtulat, ſumma ingenuitate narrando perſequitur.

Præterea, uti Viri clariſſimi Berti, Calmet, Huetius, aliique innumeri demonſtrarunt, Moſes cujuslibet Gentis Hiſtoricos etiam ætate præceſſit; ex ejus quoque libris, Veteres omnes ſuam hauſere doctrinam; plura denique, quæ ille recenſet, ab exteris etiam Nationibus teſtimonium veritatis accipiunt. Dum itaque primam mundi originem inveſtigamus, Moſaicam narrationem cæteris omnibus jure meritoque præferimus.

Objicies 1. Plura in Geneſeos libro leguntur, quæ veri nullam ſimilitudinem præ ſe ferunt: eorum dumtaxat aliqua, quæ magis ad rem facere videntur, breviter afferemus. Et 1. quidem Gen. c. 4. v. 17. dicitur, quod Cain *ædificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui Henoch*. Atqui ex eodem loco colligitur, perpaucos tunc homines extitiſſe.

2. Eodem in libro legitur, quod primi homines vitam ſuam uſque ad annos circiter mille protraxerint; hoc autem experimentis, humanique corporis conſtitutioni repugnat.

3. Ibidem c. 7. recenſetur, in uno Noetico navilio omnia animantium genera, eorumque per annum cibaria fuiſſe concluſa: quod fidem omnem excedit.

4. de-

4. demum. Ex citato c. 7. conſtat, diluvium totam inundaſſe terram, & altiſſimorum montium ſuperaſſe cacumina: quod & aliarum Gentium chronologiis opponitur, & falſum inſuper ex eo probatur, quod non ſufficiant globi noſtri aquæ ad ſpatium illud implendum.

Reſp. ad 1. cum Auguſtino in lib. 15. de C. D. c. 8., quod licet pauci homines ibi numerentur a Moſe, non tamen inde fit conſequens, quod plures alii non extarent. Pauci namque recenſentur, quia Moſes omnes recenſere neceſſe non habuit, ſed eos tantum, quos ſuſcepti operis ratio poſtulabat. Tam quippe longæva illorum hominum vita fuit, ut per unius ætatem non una, ſed plurimæ conſtitui potuerint Civitates. *Quod ex hoc conjici facillime poteſt*, inquit S. Doctor, *quia ex uno Abraham non multo amplius quadrigentis annis numeroſitas Hebrææ gentis tanta procreata eſt, ut in exitu ejuſdem populi ex Ægypto ſexcenta millia hominum fuiſſe referantur bellicæ juventutis; ut omittamus gentem Idumæorum non pertinentem ad populum Iſrael, quam genuit frater ejus Eſau nepos Abrahæ, & alias gentes natas ex ſemine ipſius Abrahæ, non per Saram conjugem procreatas.*

Ad alterum. Quod de longæva Patriarcharum ætate Moſes affirmat, ethnicorum etiam Scriptorum teſtimonio confirmatur; Beroſi ſcilicet, Manethonis, aliorúmque, quos citat Joſephus in lib. 1. Antiquit. c. 4. Cauſa vero longævitatis illius multiplex aſſignatur; robuſtior nempe corporis humani compages, ſobrietas victuſque ſimplicitas, æquabilior primævæ telluris ac cœli temperies, peculiaris denique Dei providentia, ut homines citius propagarentur, cer-

certiuſque ſcientias & artes addiſcerent.

Ad tertium reponunt aliqui, cubitos illos quibus Noeticæ arcæ menſura deſcribitur, fuiſſe quadratos, vel fuiſſe majores qui trium pedum longitudinem complectuntur. At non ignobiles Mathematici geometrice demonſtrarunt, quod Noetica navis vulgaribus etiam fabricata cubitis, tot corpora continere potuerit, quot in 7. Geneſeos capite recenſentur. Terreſtrium enim animalium ſpecies 150. Ulyſſes Aldrovandus & alii deprehenderunt, exceptis ſerpentibus, & reptilibus, quorum 25. ſpecies Pererius enumerat. Ergo univerſim 175. terreſtrium animantium ſpecies in arca fuiſſent; quod a fide non abhorrere videtur. Illarum namque ſpecierum ſex tantum majores ſunt equo, paucæ æquales, multæ ſunt ove minores.

Ad 4. Noetici diluvii apertam faciunt mentionem ethnici quoque plerique Scriptores; uti patet ex Joſepho in lib. 1. contra Appionem, ex Euſebio lib. 9. Præparat. c. 12. ex Cyrillo lib. 1. contra Julianum &c. Quapropter veriſſime ſcribit Lactantius in lib. 2. c. 10. *Factum eſſe diluvium ad perdendam, tollendamque ex Orbe malitiam, conſtat inter omnes: id enim Philoſophi, & Poetæ, Scriptoreſque rerum antiquarum loquuntur, in eoque maxime cum Prophetarum ſermone conſentiunt.*

Quod ſi id quorundam nationum hiſtoriis adverſatur, facillimum eſt eas falſitatis ac vanitatis arguere; cum Chaldæorum, Ægyptiorum, aliorumque excogitata vetuſtas, nulla veriſimilitudine fulciatur, & coævis ſelectiſque opponatur hiſtoriis; uti mox infra patebit.

Tanti vero diluvii cauſam triplicem fuiſſe non obſcure colligitur ex vv. 11. & 12. citati capi-

capitis; legitur enim: *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ;* omnia ſcilicet oſtia profundiſſimæ ſubterraneæ voraginis, in qua ingentem aquarum copiam Deus ab initio mundi recondidit. *Et cataractæ cœli apertæ ſunt:* ex media ſcilicet aeris regione, maxima vis aquarum in terras torrentium more dejecta eſt. *Et facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus:* per quod oſtendi videtur, Deum tam longo temporis ſpatio vapores in aquas aſſidue convertiſſe, vel etiam de novo aliquas procreaſſe.

Objices 2. Moſis hiſtoria ob antiquitatis meritum tanti facienda non eſſe videtur. Ægyptii enim vetuſtiſſima monumenta producunt, ex quibus apparet, eorum imperium multo ante cœpiſſe, quam Judæorum natio, & Reſpublica oriretur. Georgius namque Syncellus ex Chronico Ægyptio, & Manethone, ac Eratoſthene hauſiſſe ſe aſſerit, quod 30. Ægyptiorum Dynaſtiæ annorum 36525. periodo concludantur: ad hoc autem antiquitatis tempus Hebræorum regnum & originem non pertingere perſpicuum eſt. Parem quoque vetuſtatis laudem non immerito ſibi arrogant aliæ etiam nonnullæ nationes, Caldæi præſertim, & Græci.

Reſp., vanam prorſus ac commentitiam eſſe enormem illam antiquitatem, de qua gloriantur Ægyptii; primo quia gentis illius Hiſtorici invicem non conveniunt; alii enim ab Oſiride ad Alexandrum decem millia, alii viginti tria millia annorum enumerant; uti Diodorus affirmat in lib. 1. Hiſt. Tot etiam abſurda illi ſcripſerunt, ut eorum hiſtoriam noſcere, Regumque ſucceſſionem componere ferme impoſſibile nobis evaſerit. Hinc alii cum Petavio

Dy-

Dynaſtias omnes ad fabellas amandant; alii immutatas contractaſque recipiunt, uti Euſebius, Africanus &c.; alii demum cum Marshamo partim recipiunt, partim vero rejiciunt.

Ergo in Ægyptiorum ſcriptis incerta ſunt omnia. Si quid vero hac in re conſtare poteſt, ex Hebræorum hiſtoriis haurimus, ex quibus apparet, Ægyptios a Mezraim Chami filio originem derivaſſe. Hinc in Pſal. 77. v. 51. & alibi Ægyptus terra Cham vocatur. Hinc & Plutarchus *de Iſide & Oſiride* ſcribit, quod Ægyptus olim *Chemia* dicebatur, ejuſdemque Regionis vici nonnulli, nominis Cham veſtigia præferebant: Sicut & a *Mezraim* olim Ægyptii primum menſem *Mezari* nuncupabant; teſtaturque Syncellus, octavi ſeculi Scriptor, ſua adhuc ætate ab Hebræis, Syris, & Arabibus Ægyptum *Metzream* appellari. Quæ profecto omnia Ægyptiorum chimæras omnino diſpellunt; cum inter Cham & Magnum Alexandrum non tot anni intereſſe potuerint, quot a Manethone, & Ægyptio Chronico ſtatuuntur.

Portentoſa quoque Chaldæorum antiquitas eſt, & ita quidem ut non immerito illam Cicero in lib. 1. & 2. *de Divinatione* vanitatis, imprudentiæ, ſtultitiæque redarguat. Qui enim fieri potuit, ut tot innumerabilium annorum obſervationes ab hominum memoria penitus exciderint? Ex Moſaica vero narratione colligitur, primum Aſſyriacæ Monarchiæ auctorem fuiſſe Nemrod, de quo in 10. c. Geneſeos: cui veritati conſentiunt etiam annorum obſervationes, quas Calliſthenes Ariſtoteli tranſmiſit.

Græcorum tandem hiſtoriæ fabulis ſcatent vaniſque commentis. Ex Moſis autem teſtimonio

Gen.

Gen. c. 10., demonſtratur, a Javano Japhethi filio gentis illius originem eſſe petendam. Præterea a Cadmo Græci Phœnices literas didicerunt, eorumque Scriptores, ſi cum Moſe conferantur, recentiſſimos eſſe, nemo jure poterit in dubium revocare.

C A P U T II.

An Mundus ſit ab æterno productus, vel ſaltem produci ab æterno potuerit?

QUæ in libro 1. & 2. tradidimus, evidenter oſtendunt, Deum prorſus ex nihilo Univerſitatis hujuſce creaſſe compagem, ſecus ac Hæretici quidam, & nonnulli docuere Philoſophi. Alterum nunc errorem aggredimur refutandum, quem invexere Platonici; mundum ſcilicet a Deo factum eſſe, eſſe tamen æternum. *Sicut*, inquiunt illi apud Auguſtinum in lib. 10. de Civ. Dei c. 31, *ſi pes ex æternitate ſemper fuiſſet in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium; quod tamen veſtigium a calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius eſſet, quamvis alterum ab altero factum eſſet: ſic, inquiunt, & mundus, atque in illo dii creati, & ſemper fuerunt, ſemper exiſtente qui fecit, & tamen facti ſunt.* Hic deinde de hujuſce rei poſſibilitate paucis inquiremus; an nempe licet Mundus non ſit ab æterno creatus, creari tamen Deo volente potuerit; quo in capite non una eſt Scholæ Doctorum opinio.

Propoſitio 1. Mundus non ab æterno, ſed in

in tempore eſt a Deo creatus.

Probatur. Scripturæ paſſim id aperte teſtantur. Moſes enim Gen. c. 1. v. 1. ait: *In principio creavit Deus cœlum & terram*. Exodi item c. 20. v. 11. ſcribit: *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt*. Cum ergo a diebus illis, veluti a temporis principio, ſubſequentia tempora Scripturæ recenſeant; patet profecto, Mundum conditum ab æterno non eſſe.

Item Proverb. c. 8. v. 23. & ſeq. Dei ſapientia de ſeipſa ſic loquitur: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant &c.* Quibus ſane verbis oſtenditur, æternam Dei extitiſſe Sapientiam, quando non adhuc Mundus extabat: ergo creaturæ Deo coæternæ non ſunt, ſed in temporis principio procreatæ.

Præterea Chriſtus Joan. 17. v. 5. a Patre poſtulat claritatem, *quam habui*, inquit, *priuſquam mundus eſſet apud te*. Et Apoſtolus ad Epheſ. c. 1. v. 4. ſcribit, quod in Chriſto nos Deus elegerit *ante mundi conſtitutionem*.

Hanc etiam veritatem, quam SS. Eccleſiæ Patres unanimiter tradiderunt, Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. definivit in cap. *Firmiter*, aſſerens, quod Deus *ſua omnipotente virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam* &c.

Poſtremo monumenta omnia, marmora, nummi, inſcriptiones, ædificia, artium origo, populorum hiſtoriæ, ipſe denique Mundus quantus quantus eſt, temporalem Univerſitatis hu-

juſce ætatem ubique demonſtrant. Judæi, Phœnices, Chaldæi, Ægyptii, Græci, Indi, Sinenſes, omnes demum antiquæ recenteſque nationes, licet in eo diffideant, ſerius ne, an citius Mundus incœperit? incœpiſſe tamen illum, & quidem non plurimis retro ſæculis, concordi aſſertione teſtantur. Mundus igitur non eſt ab æterno productus.

Objiciunt 1. Platonici. Sempiternum deinceps, ſive ut inquiunt, *a parte poſt*, eſſe non poteſt, niſi quod ſemper antea fuit: ergo ſi Mundus & ſpirituales ſubſtantiæ quas in ſe ille complectitur, ſemper exiſtent, ſemper etiam antea ab æterno fuerunt.

Reſp., priorem propoſitionem eſſe tunc veram, quando res ſempiternam exiſtentiam habet intrinſecus, & independenter ab alio: cujuſmodi profecto ſolus eſt Deus, cujus æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. At Mundus & ſpirituales creatæ ſubſtantiæ cum a libera Dei voluntate dependeant, quamvis non ſemper antea fuerint, ab illo tamen exiſtentiam acceperunt & virtutem qua ſemper deinceps exiſtent. Neque id omnino repugnat; ut enim ſcribit Auguſtinus in lib. 10. de C. D. c. 31. *Beatitudo ejus*, animæ ſcilicet, *poſt experimentum malorum firmior & ſine fine manſura*, *ſicut ille*, Plato, *confitetur*, *proculdubio cœpit ex tempore; & tamen ſemper erit*, *cum antea non fuerit*: ergo ſimiliter Mundus licet finem temporis non habebit, potuit in tempore habere principium.

Objiciunt 2. Deus eſt rerum omnium cauſa ſufficiens; *finalis* quidem ratione bonitatis; *exemplaris* etiam ratione ſapientiæ; *effectiva* demum ratione ſuæ potentiæ. Atqui exiſtente

cau-

cauſa quæ ſufficiens eſt, & ipſe debet effectus exiſtere: ergo ſi Deus extitit ab æterno, ipſum quoque Mundum ab æterno extitiſſe dicendum eſt.

Reſp., quod Deus non natura, ſed voluntate ad extra producit: Mundus igitur tunc incœpit, quando illum Deus incipere definivit. Unde Seraph. Doctor in 2. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. ait, „ quod cauſa ſufficiens ad aliquid eſt „ duobus modis, aut operans per naturam, aut „ per voluntatem & rationem. Si operans per „ naturam; ſic ſtatim cum eſt, producit. Si „ autem operans per voluntatem, quamvis ſit „ ſufficiens, non oportet, quod ſtatim cum „ eſt, operetur: operatur enim ſecundum ſa„ pientiam & diſcretionem; & ita conſiderat „ congruitatem. Quoniam igitur non conve„ niebat naturæ ipſius creaturæ æternitas, nec „ decebat Deum alicui hanc nobiliſſimam con„ ditionem donare; ideo divina voluntas, quæ „ operatur, ſecundum divinam ſapientiam, „ produxit non ab æterno, ſed in tempore; „ quia ſicut produxit, ſic diſpoſuit, & ſic vo„ luit. Ab æterno enim voluit producere tunc „ quando produxit; ſicut ego nunc volo cras „ audire Miſſam: & ita patet, quod ſufficien„ tia non cogit.

Objiciunt 3. Deus hunc Mundum aut natura tantum, aut etiam duratione præcedit. Si primum dixeris; uterque igitur erit æternus: Si ſecundum; ergo cum prius & poſterius ad intrinſecam temporis conſtitutionem pertinere perſpicuum ſit, tempus ante Mundum fuiſſe dicendum erit; quod eſt abſurdum.

Reſp. cum S. Thoma in p. 1. q. 46. a. 1. ad 8. „ quod Deus eſt prior mundo duratione;

„ ſed ly *prius* non deſignat prioritatem tempo-
„ ris, ſed æternitatis. Vel dicendum quod de-
„ ſignat æternitatem temporis imaginati, &
„ non realiter exiſtentis; ſicut quum dicitur,
„ *Supra cœlum nihil eſt*, ly *ſupra* deſignat lo-
„ cum imaginarium tantum; ſecundum quod
„ poſſibile eſt imaginari dimenſionibus cœleſtis
„ corporis dimenſiones alias ſuperaddi.

Eandem quoque reſponſionem S. Doctor adducit in q. 3. de poten. a. 14. ad 6. aitque, quod ante inſtans creationis Mundi cum non fuerit motus, nec reale tempus eſſe potuerit; licet mente concipiamus ante Mundum tempus aliquod extitiſſe: ſicuti nempe extra Cœlum dimenſiones aliquas, majoremque altitudinem cogitamus, dicimuſque, quod Deus *altius Cœlum potuit elevare, & quod prius potuit facere; quia potuit facere & tempus diuturnius, & altitudinem altiorem*.

Propoſitio 2. Probabilius affirmandum eſſe videtur, quod Mundus ab æterno conditus eſſe nequiverit.

Probatur ex Patribus, qui id unanimiter, adjuncta etiam ratione, teſtantur: nos nonnulla eorum teſtimonia producemus; nam qui plura deſiderat, apud Petavium in lib. 3. c. 6. alia abunde reperiet. Athanaſius itaque in Oratione 3. contra Arianos ait: *Proprium eſt creaturarum, & operum, non eſſe antequam fiant, & ex non extantibus ſubſiſtere*. Quod ſi id proprium creaturæ eſt; ergo ejuſdem naturæ repugnat æternitas.

Methodius etiam apud Photium Codice 235. inquit: *Impoſſibile eſt id quod initio productionis eſt circumſcriptum, ſimul cum eo, quod finem ac terminum nullum habet, ſine itidem, ac termino carere*. Ubi notandum eſt, quod S.

Mar-

Martyr contra Origenem id aſſerat, qui participatam tantummodo æternitatem Mundo tribuebat, concedens illum a Deo fuiſſe creatum.

Confirmatur hoc idem ex eo, quod Zacharias Mitylenæus in Diſput. de Mundi opificio ſcribit: *Non enim ex æterno* Deus mundum condidit. *Propria quippe Dei ſolius æternitas, neque mundus ejus poteſt eſſe particeps*. Quibus profecto verbis nihil clarius adduci poteſt.

Item Cyrillus Alex. in Theſauri libro 32. ait: *Quod enim omnino per creationem ad hoc ut eſſet deductum eſt, non poteſt intelligi a principio extitiſſe*. At ſi nequit intelligi, nequit etiam ullatenus evenire.

Deinde quidquid ex nihilo fit, oportet, ut a *non eſſe* ad *eſſe* mutetur; ita nimirum ut *non eſſe* nedum naturæ, ſed & durationis ordine *eſſe* præcedat: Atqui creaturæ omnes neceſſario fiunt ex nihilo: Ergo neceſſario ſuum *eſſe* poſt *non eſſe* recipiunt; adeoque ab æterno creari non poſſunt. Major propoſ. patet tum ex allato ſuperius Athanaſii teſtimonio, tum ex Damaſceno in lib. 1. c. 8. ubi ſic ait: *Creatura, cum voluntatis Dei ſit opus, non eſt Deo coæterna. Non enim natura fert, ut quod ex nihilo ad eſſe provectum eſt, coæternum ſit ei, qui principio caret, eſtque ſemper*. Idem quoque docent Juſtinus Confutat. 31. Lactantius lib. 7. de Vita Beata c. 1. Anſelmus in Monologio &c.

Objicies. Æterna exiſtentia cauſæ, quæ naturaliter agit, æternam quoque exiſtentiam ſubinfert effectus, qui neceſſario ab illa procedit: ergo pariter æterna exiſtentia cauſæ liberæ, ſi Omnipotens fuerit, & aliquid creare voluerit,

æternam exiſtentiam effectus poſſibilem eſſe ſubinfert.

Reſp., contradictionem involvere, quod cauſa aliqua naturalis ab æterno producat effectum, qui realiter ſit ab illa diſtinctus; ſed id tantum juxta catholicam fidem admittimus, quod Deus Pater in ratione principii Filium, & Spiritum Sanctum ſibi conſubſtantiales ab æterno produxerit. Quia vero ex uno abſurdo aliud conſequatur oportet; idcirco ſi primum verum eſſet, verum eſſe poſſet & alterum. Summa inſuper Dei potentia, & libertas ſolummodo probant, quod ex parte ſui potuerit ille Mundum ab æterno creare: at cum Mundus creatura ſit, exigit, ut juxta creaturæ modum naturamque creetur in tempore, & poſt non eſſe ſucceſſive ad exiſtentiam transferatur. *Quæ contradictionem implicant*, inquit Doctor Angel. in p. 1. q. 25. a. 3. *ſub divina omnipotentia non continentur, quia non poſſunt habere poſſibilium rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non poſſunt fieri, quam quod Deus ea non poſſit facere.*

Inſtabis. Si Deus ageret ex neceſſitate naturæ, Mundum produceret ab æterno: ergo cum libere agat, dicendum eſt, quod libere illum potuerit ab æterno producere: non enim minus ille poteſt, dum libere agit, quam ſi naturaliter agere ſupponatur.

Reſp. 1. quod argumentum contradictionem involvat; nam Deus naturaliter agens, Divinitatis perfectione ac natura careret, proindeque Deus eſſe non poſſet. Deinde reponimus, quod ſi naturaliter ageret, Mundum ab æterno nequiret efficere, non quia in data hypotheſi ipſe creandi virtute careret, ſed quia Mundo in-

intrinſecus repugnaret æternitas ; ut ſuperius dictum eſt .

Sunt & alia levioris momenti argumenta, quæ ex dictis facili negotio diluuntur ; proindeque probabilius videtur eſſe dicendum , quod Mundus neque quoad permanentes , neque quoad ſucceſſivas res eſſe potuerit ab æterno ; cum Philoſophi ac Theologi , qui oppoſitum arbitrantur , neque ex auctoritate , neque ex ratione ſuam valeant demonſtrare ſententiam .

CAPUT III.

Quod Mundus ſex naturalium dierum ſpatio ſit creatus.

CUm Moſes affirmet, quod Deus ſex dierum ſpatio Mundum fuerit operatus, & ſeptimo die requieverit ab omni opere quod patrarat; emergit quæſtio, an naturales dies illi fuerint, & viginti quatuor horarum ſpatio abſoluti. Nam Philo Judæus, Origenes, aliique nonnulli myſtico in ſenſu dies illos exponunt; quatenus Deus licet unico temporis inſtanti cuncta produxerit; ſecundum tamen intelligentiam, & naturæ ordinem, & ſenarii numeri perfectionem, ſex creationis dies a Moyſe numerantur.

Opinioni huic, tanquam probabiliori, Auguſtinus adhæſit in libris de Gen. ad literam, & de C. Dei; aſſeruitque, cœlum, terram, lucem, firmamentum, & luminaria cœli ex nihilo ſimul a Deo fuiſſe producta; dies autem a Moyſe recenſitos ſecundum diverſam Angelorum cognitionem, qua illi rerum conditarum gradus perfectioneſque percipiunt, diſtribuendos eſſe putavit; ita nempe ut Angelica natura ſit lux, ejuſque cognitio ſit dies in veſperam & mane diviſus: & veſpera quidem dicitur, dum creaturas in propria natura cognoſcuntur ab Angelo; mane vero dum illæ cognoſcuntur in Verbo. En ipſamet Auguſtini verba ex lib. 11. de Civ. Dei c. 7. *Cognitio*

crea-

creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, ut ita dicam, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur velut in arte qua facta eſt. Ideo veſpera congruentius, quam nox dici poteſt, quæ tamen, ut dixi, cum ad laudandum & amandum refertur Creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum facit in cognitione ſui ipſius, dies unus eſt. Cum in cognitione firmamenti, quod inter aquas inferiores & ſuperiores cœlum appellatum eſt, fit dies ſecundus. Cum in cognitione terræ, & maris, omniumque gignentium, quæ radicibus continuata ſunt terræ, dies tertius: cum in cognitione luminarium majoris & minoris, omniumque ſiderum, dies quartus: cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium atque volatilium, dies quintus: cum in cognitione omnium animalium terrenorum, atque ipſius hominis, dies ſextus.

Propoſitio. Sententia quæ naturales proprioſque creationis dies admittit, probabilior eſſe videtur.

Probatur. Ex ejuſdem Auguſtini regulis, quas in lib. 8. de Gen. ad lit. c. 7. & in lib. 3. de Doctrina Chriſt. c. 10. ille tradidit, edocemur, quod Scripturæ verba proprio in ſenſu accipienda ſint, niſi figuratum ſenſum exigat aperta neceſſitas: atqui nulla neceſſitas exigit, ut myſtice ſex illi dies ita ſumantur, ut proprius ſenſus penitus excludatur. Ex literali enim dierum illorum acceptione nihil omnino conſequitur, quod fidei dogmatibus, morum honeſtati, aut evidenti rationi repugnet. Sicut igitur in 1. Gen. capite cœli nomine verum cœlum, & terræ nomine veram terram accipimus, idemque de rebus aliis affirmamus quæ ibi facta narrantur; ita per diei nomen verus accipiendus eſt dies, & ſex dierum nomine ſex etiam veri dies in-

intelligendi ſunt, quorum alter alteri temporis duratione ſuccedat.

Hinc ipſe Auguſtinus in lib. de Catechizandis rudibus c. 17. ſex dies illos fuiſſe reales affirmat; inquit enim: *De qua requie ſignificat Scriptura, & non tacet, quod ab initio mundi ex quo fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ſex diebus operatus eſt, & ſeptimo die requievit. Poterat enim Omnipotens, & uno momento temporis omnia facere, non autem laboraverat, ut requieſceret, quando dixit, & facta ſunt; mandavit, & creata ſunt: ſed ut ſignificaret, quia poſt ſex ætates mundi hujus, ſeptima ætate tanquam ſeptimo die requieturus eſt in Sanctis ſuis* &c. Non ergo myſtica expoſitio intelligibilium dierum literalem obviumque ſenſum debet excludere, quo reali ſex naturalium dierum ſpatio Mundus dicitur procreatus.

Præterea legitur Exodi c. 20. vv. 9. 10. & 11. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo... Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit Dominus diei ſabbati &c.* Ex quibus tale conficitur argumentum. Lex quæ Hebræis data eſt, ut ſabbatum cuſtodirent, ea ratione fulcitur, quod ſicuti Deus ſex diebus Mundum & omnia in eo contenta produxit, ſeptimo vero die ab omni opere requievit; ita & Judæi ſex diebus poterant operari, die tamen ſeptimo ab omni ſervili opere vacare deberent. Atqui ejuſcemodi ratio nihil omnino concluderet, ſi Deus unico temporis momento omnia produxiſſet: niſi enim ſex dies

mun-

mundanæ geneſeos proprii naturaleſque fuiſſe dicantur, quænam ſimilitudo foret inter reales ſex hebdomadæ dies, quibus Judæi licite poterant operari, & inter intelligibiles dies, ſive Angelorum cognitiones, quæ Mundum reſpiciunt in inſtanti creatum?

Objicies 1. Poſtquam Moſes rerum aſpectabilium creationem ſex diebus peractam eſſe in Gen. c. 1. narraverat, c. 2. v. 4. ſubjunxit: *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret*. Ergo omnes generationes a Moſe ſuperius enarratæ ſpectant ad unum eundemque diem; neque temporis ſpatium interfuit inter diem primam, in qua creavit Deus cœlum & terram, & diem tertiam in qua fuerunt producta germina & ligna. Ergo creationis dies intelligibiles ſunt, non reales.

Neque illud *in die* idem denotat ac *in tempore*, quatenus Hebræorum phraſi per ſingularem numerum ſex dierum ſpatium exprimatur. Vox enim יום *dies* ſine repetitione, & abſque numeralis vocis additamento nude ponitur in Hebræo; ut nempe unicus naturalis propriuſque dies apertiſſime deſignetur.

Reſp., quod eo in loco dies pro tempore non male ab Interpretibus ac Theologis communiter explicetur, ita quod poſſit ſex dierum tempus exprimere. *Scripturarum more ſanctarum*, inquit Auguſtinus in lib. 20. de C. D. c. 1. *diem poni ſolere pro tempore, nemo, qui illas literas quamlibet negligenter legerit, neſcit*. Quo ſane in ſenſu ſequentes textus, aliique conſimiles exponuntur: *Secundum diem tentatio-*

nis

nis in deſerto: Pſal. 94. 9. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit:* Rom. 13. 12. *Ecce nunc dies ſalutis:* 2. Cor. 6. 2.

Neque officit quæ ex Hebraico fonte trahitur difficultas: poteſt enim יום *jom* abſolute ſic poſitum, denotare *tempus*, quod ex contextu determinationem majoris vel minoris durationis accipiat. Sicut enim objecto in textu legitur, *in die* ביום *bajom*, *quo fecit Dominus &c.*, ita & Num. 8. v. 17. invenitur: *In die* ביום *bajom*, *quo percuſſi &c.* & tamen hoc in ſecundo loco non verum propriumque diem, ſed nocturnum tempus oſtendit. Lege Menochium.

Denique etſi vox illa verum propriumque diem exprimere concedatur, nihil ex argumento conſequitur; poteſt enim confuſe ſic accipi, ut non unus idemque dies, ſed alius atque alius intelligatur; juxta ſcilicet diverſa opera quæ primo in capite facta narrantur.

Appoſite ſcribit S. Bonaventura in 2. d. 12. a. 1. q. 2. de citato agens Geneſeos textu, *quod illud dictum eſt per recapitulationem; & iſte terminus, Die, ibi confunditur, ut teneatur pro diverſis diebus, vel teneatur zeugmatice, ut reddatur aliis ſingulis membris illius recapitulationis.*

Sed inſtabis. In adducto teſtimonio legimus, quod fecerit Dominus *omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis antequam germinaret.* Quid eſt autem virgultum antequam oriatur? quid herba antequam germinet, præter terram ſeminibus gravidatam? Ergo omne virgultum, & omnis herba producta die tertio nihil ſunt aliud, quam terra prima die creata cum ſemine omnium ſtirpium & germinum.

Reſp.,

Reſp., quod obvius ac ſimplex verborum illorum iſte ſit ſenſus, Deum virgulta herbaſque feciſſe, cum antea non extarent. Ibi namque Moſes oſtendit, non naturali ſed divina virtute virgulta & herbas primo fuiſſe productas. Herbæ enim, & virgulta, quæ per naturæ virtutem producuntur, oriuntur communiter ex humore terræ qui fit per pluviam, & ex labore hominum per agriculturam: utrumque vero removetur ab iis, quæ in tertia die ex terra producta leguntur. Unde ſtatim poſt objecta verba ſubſequitur: *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram; & homo non erat qui operaretur terram*. Lege Lyranum, & Eſtium in hunc locum.

Objicies 2. Solem Deus condidit quarta die. At ex luce Solis naturalis dies conſtituitur. Ergo tres dies priores non fuerunt vere naturales. Ubi etiam notandum eſt illud, quod lucem primo die creatam, & luminaria facta die quarto Hebraicus textus eodem vocabulo appellat אור *Hor*; cum ad deſignandum Solem habeant Hebræi etiam peculiare nomen שמש *Scemeſc*. Magna igitur probabilitate defenditur, Solem ab initio fuiſſe creatum; ideoque primum & quartum diem eſſe unum; atque ſex diebus recapitulatione a Moſe narrari, quæ in priori ſimul fuere perfecta.

Reſp. quod Sol quoad ſubſtantiam ipſa ſit lux quam Deus prima die creavit, & ex qua in die quarta Sol & Sidera formata ſunt. In hoc enim opere, ſicut & in aliis Deus a confuſis ad diſtincta, ab imperfectis ad perfecta proceſſit. Unde ſicut terra primum confuſa, deinde ab aquis ſeparata fuit, denique ornatum accepit rerum quæ ex ipſa progerminant; ita quo-

quoque res in tenebris primo fuerunt, deinde luce creata Deus inter noctem diemque diviſit, ac poſtremo Mundum luminaribus exornavit.

Quomodo autem ex ea luce tres primi naturales dies fieri potuerint, Seraph. Doctor in 2. d. 13. a. 1. q. 2. ſic explicat: „ Lux illa noctem „ & diem faciebat ſuo motu, ſicut Sol ſua facit actione. Intelligitur enim lux illa facta „ fuiſſe, ubi nunc eſt Sol, nam ex illa formatus creditur eſſe Sol; producta autem fuit „ ſuper eam partem, ſupra quam noſtrum eſt „ hemiſphærium; & illud hemiſphærium illuminando fecit diem, & progrediens pervenit „ ad Occaſum, & fecit veſperum, & poſt deinde regrediens ad Ortum fecit mane. Unde „ reſpectu unius & ejuſdem hemiſphærii noctem „ & diem faciebat ſucceſſive: reſpectu vero „ hemiſphærii noſtri, & alterius ſimul faciebat „ diem ex una parte, & noctem ex objectu „ illius naturæ denſæ, quæ erat in medio illius „ materiæ, quæ quamvis non eſſet adhuc in „ forma completa, erat tamen in illa parte ita „ denſata, ut poſſet projicere umbram, ſicut „ in parte ſuperiori pro ſua raritate, & quadam ſubtilitate poterat ſuſcipere lucis influentiam. Et ideo utrumque eorum inſinuans „ Scriptura dicit: *Diviſit Deus lucem a tenebris*; quantum ad exiſtentiam lucis in uno „ hemiſphærio, & tenebræ in alio: *& factum eſt veſpere, & mane*; quantum ad receſſum „ a noſtro hemiſphærio, & quantum ad regreſſum.

Denique quia ut dictum eſt, Sol & lux non differunt in natura; idcirco tum iſta, tum ille dici potuit *Hor*; ſive *Mehor* quod luminare ſignificat, Sol dictus; eſt licet hic etiam *Sceme/c*, aut

aut alio ſpecialiori nomine nuncupetur.

Inſtabis. Dum legimus c. 1. Gen. v. 6. *Fiat firmamentum, & dividat aquas ab aquis*; annon per Adverſarios recte infertur ante productionem firmamenti nullam extitiſſe inter aquas diviſionem? Utique. Igitur dum verſu 14. legimus: *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem*; optime intelligimus ante creationem majoris luminaris diem noctemque non fuiſſe diviſas.

Addit præterea eodem loco Scriptura: *Et ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos: ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram*. Legit eo loco Chaldæus: *Ut numerentur per ea dies, & anni*. Quare ergo dum compellimur ab Adverſariis ad explicanda omnia verba Geneſeos proprie & literaliter, fas non erit arguere: Ergo ante creationem Solis & Lunæ non erant tempora, non erant dies, non erat lumen aliquod in firmamento, non erat ulla terrenorum corporum illuminatio, non erat dierum numerus, vel diſtinctio?

Reſp. quod cum ante verſum 6. non legatur aliquod extitiſſe corpus in medio aquarum, quod ſuperiores aquas ab inferioribus ſua extenſione divideret; idcirco recte ſequitur, quod ante firmamentum ſecunda die ordinatum & expanſum, nulla inter aquas fuerit diviſio. Cum vero ante verſum 14. Scriptura aperte deſcribat, extitiſſe jam lucem & tenebras, diem & noctem, veſperum & mane; dicendum profecto eſt, etiam tunc diem noctemque fuiſſe diviſas; proindeque hic quoque a literali ſenſu nulla prorſus ratione recedimus.

Hoc autem ut clarius exponatur, præſtat afferre verba Angelici Doctoris ex quæſ. 4. de

po-

potentia a. 2. ad 7. ubi ait, „ quod duplex eſt
„ motus in Cœlo; unus communis toti Cœlo,
„ qui dicitur diurnus, & facit diem, & no-
„ ctem: & iſte motus videtur inſtitutus pri-
„ ma die, in qua producta eſt ſubſtantia Solis,
„ & aliorum luminarium informis. Alius eſt
„ motus proprius, qui diverſificatur ſecundum
„ diverſa corpora cœleſtia, ſecundum quos mo-
„ tus fit diverſitas dierum ad invicem, & men-
„ ſium, & annorum. Prima die facta eſt di-
„ ſtinctio communis temporis per diem, &
„ noctem ſecundum motum diurnum, qui eſt
„ communis totius Cœli, qui poteſt intelligi
„ incœpiſſe prima die. Et ideo in prima die
„ fit mentio de ſola diſtinctione noctis, & diei,
„ quæ fit per motum communem omnibus
„ Cœlis. Quarta vero die facta eſt diſtinctio
„ ſecundum ſpeciales diſtinctiones dierum, &
„ temporum, ſecundum quod una dies eſt ca-
„ lidior alia, & unum tempus alio tempore,
„ & unus annus alio anno: quæ fit ſecundum
„ ſpeciales, & proprios motus ſtellarum, qui
„ poſſunt intelligi incœpiſſe quarta die. Unde
„ in quarta die fit mentio de diverſitate die-
„ rum, & temporum, & annorum, cum di-
„ citur, *Et ſint in tempora, & dies, & an-*
„ *nos*; quæ quidem diverſitas fit per motus
„ proprios. Et ita illi primi tres dies, qui
„ præceſſerunt formationem luminarium, fue-
„ runt ejuſdem rationis cum diebus, qui nunc
„ a Sole aguntur quantum ad communem di-
„ ſtinctionem temporis ſecundum diem & no-
„ ctem, quæ fit per motum diurnum com-
„ munem toti Cœlo: ſed non quantum ad
„ ſpeciales diſtinctiones dierum, quæ fiunt ſe-
„ cundum motus proprios.

Ob-

Objicies 3. Eccli. 18. v. 1. legimus : *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Si ſimul omnia producta ſunt, non ergo plurium dierum intervallo. Obvia eſt reſponſio, quod omnia *ſimul* dicantur creata, ideſt *univerſaliter* & *communiter*, cum Græcus habeat κοινῇ. At univerſitas creaturarum ſatis exprimitur per τὰ πάντα, *omnia*; ergo κοινῇ, *ſimul* non de rebus, ſed de tempore accipiendum eſt.

Reſp. cum S. Bonaventura in loco ſuperius laudato ad 2. „ quod Scriptura facit vim inter „ creare, & facere. Nam creationem vocat „ productionem ex nihilo, factionem vero ipſam „ diſtinctionem. Et hoc bene ſignatur Gen. 2. „ ubi dicitur, quod *ceſſavit ab omni opere ſuo*; „ *quod creavit, ut faceret*. Omnes igitur Sancti in hoc concordant, quod omnia ſint ſimul producta in materia : & ideo omnia „ concedunt ſimul eſſe creata, ſed tamen non „ ſimul facta.

Neque rejicienda expoſitio altera eſt, quam plurimi tradunt Interpretes, quod nempe vox *ſimul* non ad *creavit*, ſed ad *omnia* referatur: *Creavit omnia ſimul*: proindeque non tempus, ſed univerſam denotat creaturam; non ſecus ac ſi diceret: Omnia ſine exceptione creavit. Nam eodem etiam modo Jo. c. 1. v. 3. legitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*: *& ſine ipſo factum eſt nihil*. Ubi notandum, quod licet creaturarum univerſitas ſatis expreſſa ſit per illud *Omnia per ipſum &c.* ad majorem tamen ſermonis vim propoſitio ſequens adjungitur; *Et ſine ipſo &c.* Ita & de adducto Eccli. textu dici poteſt, quod quamvis univerſa creatura per illud *omnia* liquido deſignetur; ut tamen omnis exceptio evidentius auferatur, non ma-

le illud quoque *ſimul* adjungitur.

Objicies 4. Jobi 40. v. 10. dicitur: *Ecce Behemoth, quem feci tecum ... Ipſe principium viarum Dei*. Behemoth igitur, ſive diabolus ſimul cum homine factus eſt: ergo dicendum eſt, ſextam diem qua factus eſt homo, & primam diem qua diabolus factus eſt, dies non eſſe diverſas. Legitur denique Deut. c. 32. v. 4. *Dei perfecta ſunt opera*. Simul itaque Deus omnia condidit & perfecit.

Reſp. ad 1. quod Behemoth juxta literam denotet Elephantem, qui factus cum homine dicitur, tum quia utrumque Deus in eadem ſexta die creavit, tum quia uterque terram inhabitat; cum Leviathan, de quo ibi v. 20., non in terra cum homine, ſed in pelago commoretur. Vocatur vero Elephas principium viarum Dei, quia fortitudine, mole, prudentia ceteris antecellit.

Quia vero per Behemoth deſignari diabolum non negamus, idcirco ex Gregorio in lib. 32. Mor. c. 12. reſpondemus, quod dum myſtice objectus textus exponitur, vox illa *ſimul* non creationis, ſed ſimilitudinis conjunctionem importet. *Quia ergo*, ait S. Doctor, *in cuncta conditione rerum nullum rationale animal, niſi Angelus, & homo eſt: quidquid ratione uti non poteſt, cum homine factum non eſt. Dicatur itaque homini, dicatur de Angelo qui etſi potentiam ſublimitatis perdidit, ſubtilitatem tamen naturæ rationalis non amiſit:* Ecce Behemoth, quem feci tecum.

Tandem Dei opera perfecta dicuntur, quia ſancte omnia & laudabiliter operatur; unde ſubjungitur: *Et omnes viæ ejus judicia*. Non ergo ex ſecundo textu deducitur, quod eadem

die

die Deus res condiderit, omnique ſimul ornatu diſtinxerit. Ceterum hac ſuper re cum Auguſtino in lib. 2. de Gen. ad lit. c. 15. reponimus, quod *ſi aliquid Deus imperfectum feciſſe diceretur, quod deinde ipſe perficeret, quid reprehenſionis haberet iſta ſententia? Jure autem diſpliceret, ſi id quod ab illo inchoatum eſſet, ab alio diceretur eſſe perfectum*.

Objicies 5. Cum dicerent Ariani, Verbum eſſe creaturam, fuiſſe tamen primum ac ſolum a Deo creatum, ut omnium eſſet initium; S. Athanaſius in Orat. 3. eos ita refellit: *Quomodo autem, ſi* Verbum *creatura ſecundum vos eſt, poteſt & ſolum & primum condi, ut ſit initium omnium, cum ex verbis ſuperioribus liqueat, nihil eſſe in rebus creatis, quod unum ſolum ex ſe primumque ſit conditum? Omnia enim pariter cum omnibus ortum ſuum originemque adepta ſunt*. Quod ſane argumentum, ut attendenti faciliime patet, infirmum eſſet ac nullum, ſi Athanaſius non putaſſet, creaturas omnes eodem ſimul inſtanti fuiſſe productas.

Reſp. quod illa Athanaſii ratio ſolummodo præſupponat, quod creaturæ omnes, quæ ejuſdem ſunt generis, eodem die eodemque mandato a Deo fuerint procreatæ; non vero demonſtrat, creaturas omnes, diverſæ licet illæ fuerint conditionis, unica ſimul die fuiſſe productas. Apparet id ex contextu, ubi S. Pater hæc inter alia ſcribit: *Non enim ullum ex aſtris aut ex magnis luminaribus ita apparuit, ut hoc prius, illud poſterius in rerum natura emergeret; ſed omnia eodem die, eodemque juſſu ad eſſentiam vocata ſunt. Eadem quoque ratione quadrupedum, volucrum, natatilium, pecorum, & ſtirpium natura formata eſt, neque aliter quod*

eſt ad imaginem Dei, conditum eſt genus humanum.

Athanaſii itaque argumentum iſtud eſt: Creaturæ quæ ſunt ejuſdem conditionis & generis, ſimul a Deo ſunt conditæ: ergo ſi Verbum eſſet creata Virtus; uti ſentiunt Ariani, ſimul cum aliis Virtutibus, ſive Angelis conditum eſſet; adeoque primum & ſolum conditum dici non poſſet. De inviſibilibus enim creaturis hæc ibidem S. Doctor adjungit: *Ne illic quidem quidquam ſeorſum in ſuo genere, aut prius, aut poſterius creatum eſſe, ſed omnia ſimul, quæ ejuſdem conditionis ſunt, extitiſſe.* Et poſt pauca; *Si igitur Verbum, quemadmodum prædixi, creatura eſſet, neceſſe eſſet id non primum, ſed una cum aliis Virtutibus ſimul editum fuiſſe.*

Objicies 6. Infinitæ Dei potentiæ magis congruiſſe videtur, ut eodem ſimul inſtanti cuncta produceret, debitaque perfectione ſtatim inſtrueret, quam ut plurium intervalla dierum ad id expectare deberet; ita ergo feciſſe dicendum eſt.

Reſp. quod Deus libera cauſa eſt, proindeque ita agit, ſicuti conſilio ſuo judicat expedire. Quod ſi quæſieris, cur ita congruere judicaverit? Reſpondet Doctor Angelicus q. 7. de potentia a. 2. ad 5. *Ad oſtendendum, quod creatura ſuam perfectionem non haberet ex ſe, voluit, ut prius eſſet imperfecta, & poſtea ſucceſſive per opus diſtinctionis, & ornatus perficeretur.* Similia quoque ſcribit Ambroſius in lib. 1. Hexam. c. 7. inquiens: *Cur Deus ſicut dixit, & facta ſunt, non ſimul ornatus congruos rebus aſſurgentibus donavit elementis, quaſi non potuerit Cœlum inſignitum ſtellis ſubito ut creatum eſt refulgere, & floribus ac fructibus terra* ve-

veſtiri ? Potuit utique, ſed ideo primò facta, poſtea compoſita declarantur, ne vere increata, & ſine principio crederentur, ſi ſpecies rerum velut ingeneratæ ab initio, non poſtea additæ viderentur. Incompoſita terra legitur, & iiſdem a Philoſophis æternitatis quibus Deus privilegiis honoratur. Quid dicerent, ſi ab initio ejus pulchritudo vernaſſet ? &c. Sed ſatis ſint dicta pro ſententia, quam Berti aliique contrarium opinantes ingenue confitentur a majori Patrum, Theologorum, & Interpretum numero propugnari.

ſcribit: *Incipiente vere prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de cauſa Deus etiam ſub idem tempus liberavit populum Iſrael a ſervitute Ægyptiorum. Et Gabriel Archangelus Sanctæ Virgini Mariæ lætum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Chriſtus Dominus ſalutarem pertulit paſſionem.*

Hæc denique omnium fere Patrum aſſertio eſt, quorum viginti citat Torniellus, vigintiquinque Martinengus, ac longe plures Delrio, a Lapide, Salianus, & alii. Quibus accedit Synodus Palæſtina, quam juſſu Victoris Papæ coegit Theophilus Cæſarienſis Epiſcopus; in ea enim communi omnium conſenſu prolatum eſt, Mundum verno tempore a Deo fuiſſe creatum; uti Ven. Beda teſtatur in lib. de ſex ætatibus. Neque diſſentiunt vel ipſi Poetæ, & Aſtrologi, & Rabbinorum nonnulli, ac plures etiam doctiores Hæretici; uti apud Salianum, Gotti, Berti, alioſque Theologos ac Chronologos legere poterunt Candidati.

Objicies 1. Vero propius eſſe videtur, quod Mundus ea tempeſtate ſit conditus, a qua anni initium ante diluvium ſumebatur: atqui primæ ætatis homines non in vere, ſed in autumno anni ſumebant initium. Menſis enim ille ſecundus, quo Noe in arcam ingreſſum, & ex ea egreſſum fuiſſe Gen. 7. & 8. capite perhibetur, non verni, ſed autumnalis eſt temporis. Ita namque de diluvio ſcribit Joſephus in lib. 1. Antiquit. c. 4. *Contigit autem hæc vaſtitas anno ætatis Noe ſexcenteſimo menſe ſecundo, qui Dius a Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marſonane. Sic enim Ægyptii diſtinxerunt annum. Moſes autem Niſan, qui eſt Xanticus, menſem*

primum in ſuis feſtis ordinavit &c.

Et ſane veriſimile eſt, quod diluvium priore ac difficiliore ſui parte hybernum tempus invaſerit, quod pluviis, & inundationibus aptius eſſe perſpicuum eſt.

Poſtremo legitur Gen. 8. quod undecimo menſe columba ad Noe venerit, *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo*. Atqui menſe Januario, qui eſſet undecimus ſi tunc annus a vere cœpiſſet, olivæ non virent: ergo.

Reſp. quod nobis aliorum ſententia magis arrideat aſſerentium, verno tempore Noeticum inundaſſe diluvium, eodemque poſt annum tempore Noemum ex arca exſiccatis jam aquis exiſſe: id enim aperte denotare videntur verba, quæ c. 8. v. 11. leguntur, *ramum olivæ virentibus foliis*: vel ut LXX. verterunt, *naſcentem oleæ feſtucam*, vel uti habet Symmacus, *ramuſculum pullulantem*. Licet enim oliva ſemper vireat, teneriores tamen ejus ramuſculi vere prorumpunt. Qua etiam de re ſcribit Ambroſius in lib. de Noe & arca c. 14. *Secundum menſem verni eſſe temporis non ambigitur, quando augentur naſcentia, ager parturit, terrarum pariter, atque animantium fœtura ſe fundit.*

Deus itaque ut evidentius demonſtraret, non naturæ, ſed juſtitiæ ſuæ opus fuiſſe diluvium, vernum ad id tempus elegit, quo non frequentes adeo & copioſæ ſunt pluviæ. Unde præclare Rupertus lib. 4. Comment. in Geneſim c. 25. ſic ait: *Magis miranda tempeſtas illius judicii, quam non adjuvit ulla natura temporis; ſed è contra, Majo, quo menſe Sol altius incedit, & Cœlum naturaliter candeſcit, erupit imbrium vis, & circa tempus hyemis, ideſt menſe Novembris jam imminutis aquis arca requievit.*

Il-

quoque res in tenebris primo fuerunt, deinde luce creata Deus inter noctem diemque diviſit, ac poſtremo Mundum luminaribus exornavit.

Quomodo autem ex ea luce tres primi naturales dies fieri potuerint, Seraph. Doctor in 2. d. 13. a. 1. q. 2. ſic explicat: „ Lux illa noctem „ & diem faciebat ſuo motu, ſicut Sol ſua fa„ cit actione. Intelligitur enim lux illa facta „ fuiſſe, ubi nunc eſt Sol, nam ex illa forma„ tus creditur eſſe Sol; producti autem fuit „ ſuper eam partem, ſupra quam noſtrum eſt „ hemiſphærium; & illud hemiſphærium illu„ minando fecit diem, & progrediens pervenit „ ad Occaſum, & fecit veſperum, & poſt de„ inde regrediens ad Ortum fecit mane. Unde „ reſpectu unius & ejuſdem hemiſphærii noctem „ & diem faciebat ſucceſſive: reſpectu vero „ hemiſphærii noſtri, & alterius ſimul faciebat „ diem ex una parte, & noctem ex objectu „ illius naturæ denſæ, quæ erat in medio illius „ materiæ, quæ quamvis non eſſet adhuc in „ forma completa, erat tamen in illa parte ita „ denſata, ut poſſet projicere umbram, ſicut „ in parte ſuperiori pro ſua raritate, & qua„ dam ſubtilitate poterat ſuſcipere lucis influen„ tiam. Et ideo utrumque eorum inſinuans „ Scriptura dicit: *Diviſit Deus lucem a tene*„ *bris*; quantum ad exiſtentiam lucis in uno „ hemiſphærio, & tenebræ in alio: *& factum* „ *eſt veſpere, & mane*; quantum ad receſſum „ a noſtro hemiſphærio, & quantum ad re„ greſſum.

Denique quia ut dictum eſt, Sol & lux non differunt in natura; idcirco tum iſta, tum ille dici potuit *Hor*; ſive *Mehor* quod luminare ſignificat, Sol dictus; eſt licet hic etiam *Sceme/c*, aut

aut alio ſpecialiori nomine nuncupetur.

Inſtabis. Dum legimus c. 1. Gen. v. 6. *Fiat firmamentum, & dividat aquas ab aquis*; annon per Adverſarios recte infertur ante productionem firmamenti nullam extitiſſe inter aquas diviſionem? Utique. Igitur dum verſu 14. legimus: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem*: optime intelligimus ante creationem majoris luminaris diem noctemque non fuiſſe diviſas.

Addit præterea eodem loco Scriptura: *Et ſint in ſigna & tempora, & dies, & annos: ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram*. Legit eo loco Chaldæus: *Ut numerentur per ea dies, & anni*. Quare ergo dum compellimur ab Adverſariis ad explicanda omnia verba Geneſeos proprie & literaliter, fas non erit arguere: Ergo ante creationem Solis & Lunæ non erant tempora, non erant dies, non erat lumen aliquod in firmamento, non erat ulla terrenorum corporum illuminatio, non erat dierum numerus, vel diſtinctio?

Reſp. quod cum ante verſum 6. non legatur aliquod extitiſſe corpus in medio aquarum, quod ſuperiores aquas ab inferioribus ſua extenſione divideret; idcirco recte ſequitur, quod ante firmamentum ſecunda die ordinatum & expanſum, nulla inter aquas fuerit diviſio. Cum vero ante verſum 14. Scriptura aperte deſcribat, extitiſſe jam lucem & tenebras, diem & noctem, veſperum & mane; dicendum profecto eſt, etiam tunc diem noctemque fuiſſe diviſas; proindeque hic quoque a literali ſenſu nulla prorſus ratione recedimus.

Hoc autem ut clarius exponatur, præſtat afferre verba Angelici Doctoris ex quæſa 4. de

potentia a. 2. ad 7. ubi ait, „ quod duplex eſt
„ motus in Cœlo ; unus communis toti Cœlo,
„ qui dicitur diurnus , & facit diem , & no-
„ ctem : & iſte motus videtur inſtitutus pri-
„ ma die, in qua producta eſt ſubſtantia Solis,
„ & aliorum luminarium informis . Alius eſt
„ motus proprius , qui diverſificatur ſecundum
„ diverſa corpora cœleſtia, ſecundum quos mo-
„ tus fit diverſitas dierum ad invicem , & men-
„ ſium, & annorum . Prima die facta eſt di-
„ ſtinctio communis temporis per diem , &
„ noctem ſecundum motum diurnum , qui eſt
„ communis totius Cœli , qui poteſt intelligi
„ incœpiſſe prima die. Et ideo in prima die
„ fit mentio de ſola diſtinctione noctis, & diei,
„ quæ fit per motum communem omnibus
„ Cœlis . Quarta vero die facta eſt diſtinctio
„ ſecundum ſpeciales diſtinctiones dierum , &
„ temporum , ſecundum quod una dies eſt ca-
„ lidior alia, & unum tempus alio tempore ,
„ & unus annus alio anno : quæ fit ſecundum
„ ſpeciales, & proprios motus ſtellarum , qui
„ poſſunt intelligi incœpiſſe quarta die . Unde
„ in quarta die fit mentio de diverſitate die-
„ rum, & temporum, & annorum , cum di-
„ citur, *Et ſint in tempora* , *&* *dies* , *&* *an-*
„ *nos* ; quæ quidem diverſitas fit per motus
„ proprios . Et ita illi primi tres dies , qui
„ præceſſerunt formationem luminarium , fue-
„ runt ejuſdem rationis cum diebus, qui nunc
„ a Sole aguntur quantum ad communem di-
„ ſtinctionem temporis ſecundum diem & no-
„ ctem , quæ fit per motum diurnum com-
„ munem toti Cœlo : ſed non quantum ad
„ ſpeciales diſtinctiones dierum , quæ fiunt ſe-
„ cundum motus proprios ,

Ob-

Objicies 3. Eccli. 18. v. 1. legimus : *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Si ſimul omnia producta ſunt, non ergo plurium dierum intervallo. Obvia eſt reſponſio, quod omnia *ſimul* dicantur creata, ideſt *univerſaliter* & *communiter*, cum Græcus habeat κοινῇ. At univerſitas creaturarum ſatis exprimitur per τὰ πάντα, *omnia*; ergo κοινῇ, *ſimul* non de rebus, ſed de tempore accipiendum eſt.

Reſp. cum S. Bonaventura in loco ſuperius laudato ad 2. „ quod Scriptura facit vim inter „ creare, & facere. Nam creationem vocat „ productionem ex nihilo, factionem vero ipſam „ diſtinctionem. Et hoc bene ſignatur Gen. 2. „ ubi dicitur, quod *ceſſavit ab omni opere ſuo, quod creavit, ut faceret*. Omnes igitur Sancti in hoc concordant, quod omnia ſint ſimul producta in materia : & ideo omnia „ concedunt ſimul eſſe creata, ſed tamen non „ ſimul facta.

Neque rejicienda expoſitio altera eſt, quam plurimi tradunt Interpretes, quod nempe vox *ſimul* non ad *creavit*, ſed ad *omnia* referatur : *Creavit omnia ſimul*: proindeque non tempus, ſed univerſam denotat creaturam; non ſecus ac ſi diceret: Omnia ſine exceptione creavit. Nam eodem etiam modo Jo. c. 1. v. 3. legitur: *Omnia per ipſum facta ſunt*: & *ſine ipſo factum eſt nihil*. Ubi notandum, quod licet creaturarum univerſitas ſatis expreſſa ſit per illud : *Omnia per ipſum &c.* ad majorem tamen ſermonis vim propoſitio ſequens adjungitur : *Et ſine ipſo &c.* Ita & de adducto Eccli. textu dici poteſt, quod quamvis univerſa creatura per illud *omnia* liquido deſignetur; ut tamen omnis exceptio evidentius auferatur, non ma-

le illud quoque *ſimul* adjungitur.

Objicies 4. Jobi 40. v. 10. dicitur: *Ecce Behemoth, quem feci tecum ... Ipſe principium viarum Dei*. Behemoth igitur, ſive diabolus ſimul cum homine factus eſt: ergo dicendum eſt, ſextam diem qua factus eſt homo, & primam diem qua diabolus factus eſt, dies non eſſe diverſas. Legitur denique Deut. c. 32. v. 4. *Dei perfecta ſunt opera*. Simul itaque Deus omnia condidit & perfecit.

Reſp. ad 1. quod Behemoth juxta literam denotet Elephantem, qui factus cum homine dicitur, tum quia utrumque Deus in eadem ſexta die creavit, tum quia uterque terram inhabitat; cum Leviathan, de quo ibi v. 20., non in terra cum homine, ſed in pelago commoretur. Vocatur vero Elephas principium viarum Dei, quia fortitudine, mole, prudentia ceteris antecellit.

Quia vero per Behemoth deſignari diabolum non negamus, idcirco ex Gregorio in lib. 32. Mor. c. 12. reſpondemus, quod dum myſtice objectus textus exponitur, vox illa *ſimul* non creationis, ſed ſimilitudinis conjunctionem importet. *Quia ergo*, ait S. Doctor, *in cuncta conditione rerum nullum rationale animal, niſi Angelus, & homo eſt: quidquid ratione uti non poteſt, cum homine factum non eſt. Dicatur itaque homini, dicatur de Angelo qui etſi potentiam ſublimitatis perdidit, ſubtilitatem tamen naturæ rationalis non amiſit:* Ecce Behemoth, quem feci tecum.

Tandem Dei opera perfecta dicuntur, quia ſancte omnia & laudabiliter operatur; unde ſubjungitur: *Et omnes viæ ejus judicia*. Non ergo ex ſecundo textu deducitur, quod eadem die

die Deus res condiderit, omnique ſimul ornatu diſtinxerit. Ceterum hac ſuper re cum Auguſtino in lib. 2. de Gen. ad lit. c. 15. reponimus, quod *ſi aliquid Deus imperfectum feciſſe diceretur, quod deinde ipſe perficeret, quid reprehenſionis haberet iſta ſententia? Jure autem diſpliceret, ſi id quod ab illo inchoatum eſſet, ab alio diceretur eſſe perfectum.*

Objicies 5. Cum dicerent Ariani, Verbum eſſe creaturam, fuiſſe tamen primum ac ſolum a Deo creatum, ut omnium eſſet initium; S. Athanaſius in Orat. 3. eos ita refellit: *Quomodo autem, ſi* Verbum *creatura ſecundum vos eſt, poteſt & ſolum & primum condi, ut ſit initium omnium, cum ex verbis ſuperioribus liqueat, nihil eſſe in rebus creatis, quod unum ſolum ex ſe primumque ſit conditum? Omnia enim pariter cum omnibus ortum ſuum originemque adepta ſunt*. Quod ſane argumentum, ut attendenti facillime patet, infirmum eſſet ac nullum, ſi Athanaſius non putaſſet, creaturas omnes eodem ſimul inſtanti fuiſſe productas.

Reſp. quod illa Athanaſii ratio ſolummodo præſupponat, quod creaturæ omnes, quæ ejuſdem ſunt generis, eodem die eodemque mandato a Deo fuerint procreatæ; non vero demonſtrat, creaturas omnes, diverſæ licet illæ fuerint conditionis, unica ſimul die fuiſſe productas. Apparet id ex contextu, ubi S. Pater hæc inter alia ſcribit: *Non enim ullum ex aſtris aut ex magnis luminaribus ita apparuit, ut hoc prius, illud poſterius in rerum natura emergeret; ſed omnia eodem die, eodemque juſſu ad eſſentiam vocata ſunt. Eadem quoque ratione quadrupedum, volucrum, natatilium, pecorum, & ſtirpium natura formata eſt, neque aliter quod*

eſt ad imaginem Dei, conditum eſt genus humanum.

Athanaſii itaque argumentum iſtud eſt: Creaturæ quæ ſunt ejuſdem conditionis & generis, ſimul a Deo ſunt conditæ: ergo ſi Verbum eſſet creata Virtus, uti ſentiunt Ariani, ſimul cum aliis Virtutibus, ſive Angelis conditum eſſet; adeoque primum & ſolum conditum dici non poſſet. De inviſibilibus enim creaturis hæc ibidem S. Doctor adjungit: *Ne illic quidem quidquam ſeorſum in ſuo genere, aut prius, aut poſterius creatum eſſe, ſed omnia ſimul, quæ ejuſdem conditionis ſunt, extitiſſe.* Et poſt pauca; *Si igitur Verbum, quemadmodum prædixi, creatura eſſet, neceſſe eſſet id non primum, ſed una cum aliis Virtutibus ſimul editum fuiſſe.*

Objicies 6. Infinitæ Dei potentiæ magis congruiſſe videtur, ut eodem ſimul inſtanti cuncta produceret, debitaque perfectione ſtatim inſtrueret, quam ut plurium intervalla dierum ad id expectare deberet; ita ergo feciſſe dicendum eſt.

Reſp. quod Deus libera cauſa eſt, proindeque ita agit, ſicuti conſilio ſuo judicat expedire. Quod ſi quæſieris, cur ita congruere judicaverit? Reſpondet Doctor Angelicus q. 7. de potentia a. 2. ad 5. *Ad oſtendendum, quod creatura ſuam perfectionem non haberet ex ſe, voluit, ut prius eſſet imperfecta, & poſtea ſucceſſive per opus diſtinctionis, & ornatus perficeretur.* Similia quoque ſcribit Ambroſius in lib. 2. Hexam. c. 7. inquiens: *Cur Deus ſicut dixit, & facta ſunt, non ſimul ornatus congruos rebus aſſurgentibus donavit elementis, quaſi non potuerit Cœlum inſignitum ſtellis ſubito ut creatum eſt refulgere, & floribus ac fructibus terra ve-*

veſtiri? Potuit utique, ſed ideo primo facta, poſtea compoſita declarantur, ne vere increata, & ſine principio crederentur, ſi ſpecies rerum velut ingeneratæ ab initio, non poſtea additæ viderentur. Incompoſita terra legitur, & iiſdem a Philoſophis æternitatis quibus Deus privilegiis honoratur: Quid dicerent, ſi ab initio ejus pulchritudo vernaſſet? &c. Sed ſatis ſint dicta pro ſententia, quam Berti aliique contrarium opinantes ingenue confitentur a majori Patrum, Theologorum, & Interpretum numero propugnari.

CAPUT IV.

Quod Mundus a Deo ſit verna tempeſtate productus.

Propoſitio. Vetus opinio qua Theologorum plures affirmant, quod Deus Mundum verno tempore condiderit, probabili ſatis conjectura munitur.

Probatur. Satis probabiliter affirmatur, Mundum eo tempore fuiſſe productum, quod aptius ad hoc fuiſſe videtur, ut terra virentem herbam germinaret, & pomifera ligna produceret: legitur enim Gen. c. 1. v. 4. *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum.* Atqui hujuſcemodi tempus eſt non autumnale, ſed vernum. In autumno enim, ac præſertim die 23. Octobris, quam nonnulli Chronologi pro Mundi origine ſtatuunt, herbæ non virent, flores non erumpunt, fructuſque ac ſegetes ſunt collectæ.

Et ſane cum vernum tempus amænius ſit, & in ſequente æſtate terræ vigeat jucunda fertilitas; magis Mundi primordiis tempus illud convenire videtur, quam autumnus, quem arida & horrida hyems inſequitur. Unde Hieronymus in lib. qq. Hebraicarum in Gen. c. 35. v. 16. exponens illud: *In electo terræ tempore cum introiret Ephratha;* ait: *Porro vernum tempus ſignificat, quum in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum eſt.* Mundi ergo

ergo primordia aptius in verna quam in autumnali tempeſtate ponuntur.

Hanc quoque opinionem SS. Eccleſiæ Patres communi calculo docent, & aliam inſuper nobis indicant rationem; Mundum ſcilicet eo tempore fuiſſe redemptum, quo fuerat & creatus. Hinc Cyrillus Hier. in Catecheſi 14. hæc inter alia ſcribit: *Hoc autem tempus eſt primi Hebræorum menſis, in quo celebratur feſtivitas Paſchæ, typici quidem & figurativi prius, nunc autem veri. Hoc creationis mundi tempus. Tunc enim dixit Deus:* Producat terra herbam fœni, germinantem ſemen &c.... *Quando homo creatus, propter inobedientiam ejectus eſt de Paradiſo, eodem tempore is qui condidit, per obedientiam introductus eſt. Tunc igitur facta ſalus eſt, quando & lapſus, cum & flores viſi, & putationis tempus advenit.*

Item Ambroſius in lib. 1. Hexam. c. 4. ait: *Inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies.* Et poſt nonnulla ſubjungit: *Simul illud advertere licet, quia jure concurrit, ut eo tempore videatur in hanc generationem, & in hos uſus ingreſſus tributus, quo tempore ex hac generatione in regenerationem legitimus eſt tranſitus. Siquidem verno tempore filii Iſrael Ægyptum reliquerunt... Et eo tempore Domini quotannis Jeſu Chriſti Paſcha celebratur.*

Auguſtinus etiam conceptis idem verbis affirmat in lib. qq. ex novo Teſtamento q. 55. *Tunc voluit* Salvator *paſſione ſua mundum redimere & reformare, quando eum & creaverat, ideſt in æquinoctio, unde mundus initium cæpit, & dies ſuper noctem increſcere.*

Tandem Theodoretus q. 72. in Exodum ita ſcri-

ſcribit: *Incipiente vere prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de cauſa Deus etiam ſub idem tempus liberavit populum Iſrael a ſervitute Ægyptiorum. Et Gabriel Archangelus Sanctæ Virgini Mariæ lætum nuntium admirandi partus attulit. Eodem quoque tempore Chriſtus Dominus ſalutarem pertulit paſſionem.*

Hæc denique omnium fere Patrum aſſertio eſt, quorum viginti citat Torniellus, vigintiquinque Martinengus, ac longe plures Delrio, a Lapide, Salianus, & alii. Quibus accedit Synodus Palæſtina, quam juſſu Victoris Papæ coegit Theophilus Cæſarienſis Epiſcopus; in ea enim communi omnium conſenſu prolatum eſt, Mundum verno tempore a Deo fuiſſe creatum; uti Ven. Beda teſtatur in lib. de ſex ætatibus. Neque diſſentiunt vel ipſi Poetæ, & Aſtrologi, & Rabbinorum nonnulli, ac plures etiam doctiores Hæretici; uti apud Salianum, Gotti, Berti, alioſque Theologos ac Chronologos legere poterunt Candidati.

Objicies 1. Vero propius eſſe videtur, quod Mundus ea tempeſtate ſit conditus, a qua anni initium ante diluvium ſumebatur: atqui primæ ætatis homines non in vere, ſed in autumno anni ſumebant initium. Menſis enim ille ſecundus, quo Noe in arcam ingreſſum, & ex ea egreſſum fuiſſe Gen. 7. & 8. capite perhibetur, non verni, ſed autumnalis eſt temporis. Ita namque de diluvio ſcribit Joſephus in lib. 1. Antiquit. c. 4. *Contigit autem hæc vaſtitas anno ætatis Noe ſexcenteſimo menſe ſecundo, qui Dius a Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marſonane. Sic enim Ægyptii diſtinxerunt annum. Moſes autem Niſan, qui eſt Xanticbus, menſem*

pri-

primum in ſuis feſtis ordinavit &c.

Et ſane veriſimile eſt, quod diluvium priore ac difficiliore ſui parte hybernum tempus invaſerit, quod pluviis, & inundationibus aptius eſſe perſpicuum eſt.

Poſtremo legitur Gen. 8. quod undecimo menſe columba ad Noe venerit, *portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo*. Atqui menſe Januario, qui eſſet undecimus ſi tunc annus a vere cœpiſſet, olivæ non virent: ergo.

Reſp. quod nobis aliorum ſententia magis arrideat aſſerentium, verno tempore Noeticum inundaſſe diluvium, eodemque poſt annum tempore Noemum ex arca exſiccatis jam aquis exiſſe: id enim aperte denotare videntur verba, quæ c. 8. v. 11. leguntur, *ramum olivæ virentibus foliis:* vel ut LXX. verterunt, *naſcentem oleæ feſtucam*, vel uti habet Symmacus, *ramuſculum pullulantem*. Licet enim oliva ſemper vireat, teneriores tamen ejus ramuſculi vere prorumpunt. Qua etiam de re ſcribit Ambroſius in lib. de Noe & arca c. 14. *Secundum menſem verni eſſe temporis non ambigitur, quando augentur naſcentia, ager parturit, terrarum pariter, atque animantium fœtura ſe fundit.*

Deus itaque ut evidentius demonſtraret, non naturæ, ſed juſtitiæ ſuæ opus fuiſſe diluvium, vernum ad id tempus elegit, quo non frequentes adeo & copioſæ ſunt pluviæ. Unde præclare Rupertus lib. 4. Comment. in Geneſim c. 25. ſic ait: *Magis miranda tempeſtas illius judicii, quam non adjuvit ulla natura temporis; ſed è contra, Majo, quo menſe Sol altius incedit, & Cœlum naturaliter candeſcit, erupit imbrium vis, & circa tempus hyemis, ideſt menſe Novembris jam imminutis aquis arca requievit.*

II.

Illud quoque dictis accedit, quod magis Orbi apta erat æſtas poſt diluvium illico ſubſequens, ut aeris ſerenitas hominem refoveret, & herbæ fructuſque in hominum, & beſtiarum alimenta de novo ſuccreſcerent.

Menſis ergo ſecundus, quo Noe ingreſſus eſt arcam, & ex ea poſt annum exivit, poſtquam virentis olivæ ramum ad illum rediens columba portavit, non Dius, ſed Artemiſius a Macedonibus appellatur; & ab Hebræis non Marſonane, vel Marſchevvan, vel Heſvar, ſed Jiar dicitur, qui menſis proxime Niſan, non Tiſri ſuccedit.

Objicies 2. Vetuſtæ Gentes apud quas traditio de mundi creatione ab Adamo ejuſque Poſteris facile dimanavit, anni menſes ab Autumno numerare ſolebant. Uti namque ſcribit Hieronymus in cap. 1. Ezech. *Apud Orientales populos poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in Templum, October erat primus menſis.*

Sed & Moſes de menſe Niſan ait Exodi 12. v. 2. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.* Ubi per to *erit* ſatis aperte monſtratur, apud Judæos etiam menſem illum principium menſium antea non fuiſſe. Imo licet Moſes quoad ſacra & divina anni initium a Niſan ducendum eſſe præceperit; quoad civilia tamen negotia & reliquam anni diſpenſationem nihil de priſco ritu penitus immutavit.

Ad hæc accedit, quod ſolemnitas Tabernaculorum celebrari ſeptimo menſe præcipitur Exodi 23. 16. *in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* In ſeptimo itaque menſe veteris anni exitus, ſimulque novi anni principium contingebat. Reſp.

Reſp. quod Octobrem pro primo menſe Orientales habuerint, non quia eo tempore Mundum conditum fuiſſe putarent; ſed quia cum agriculturæ pecorumque mercimonio toti ſtuderent, ea computandi ratio viſa fuit civili ſocietati commodior. Collectis enim ac diſtractis frugibus in Autumno, ſicque extracta pecunia, annuos contractus locationum, conductionum, emptionum, venditionum, alioſque conſimiles tunc illi congrue celebrabant. Hinc & Judæi ſabbaticos & jubilæos annos, etſi ſacri eſſent, a menſe ſeptimo inchoabant, eo quod multos contractus includerent. In civilis inſuper anni exitu Tabernaculorum ſolemnitas merito inſtituta eſt, ut pro frugum collectione debitæ Deo gratiæ redderentur.

Cum vero Iſraelitæ poſteaquam in Ægypto fuerunt, gentis illius conſuetudine annum ab autumnali æquinoctio computaſſent, juſſit per Moſen Deus, ut populus anni caput a vere rurſus inciperet; ſicque priſtinum uſum quoad divinum cultum & ſacra reſtituit, permittens interim illis, ut initium anni civilis ab autumno deſumerent.

Illud itaque *erit* non oſtendit, nunquam antea apud Hebræos annum a vere cœpiſſe, ſed non cœpiſſe tunc ſolum, quando in Ægypto Iſrael moratus eſt. Quid quod lectio Græca non habet, *primus erit*, ſed *primus eſt*? Hebraica quoque non habet ſubſtantivum verbum *erit*, ſed pronomen demonſtrativum, *initium ipſe*; ut nimirum appareat, non aliud eſſe anni rerumque creationis exordium. Appoſite ſcribit Ambroſius in lib. 1. Hexam. c. 4. *Ergo ut oſtenderet Scriptura veris tempora in conſtitutione mundi, ait*: Menſis hic vobis initium menſium,

ſium, primus eſt vobis in menſibus anni. *Primum menſem vernum tempus appellans*.

Notamus denique, quod idcirco de duobus tantum anni temporibus, verno ſcilicet & autumnali, diſceptationem inſtituimus; quia mundum hyeme conditum nemo hactenus aſſeruit, cum eo tempore terra non germinet: æſtate vero productum eſſe, ſolus Gerardus Mercator affirmavit, falſo exiſtimans, primum menſem de quo Gen. 8. v. 13., Julio reſpondiſſe. De duobus autem æquinoctiis major eſt difficultas, ac diverſa Cl. Virorum opinio.

CAPUT V.

Ubi ſex dierum opera breviter recenſentur.

PRimæ diei opus Moſes verbis illis expreſſit Gen. c. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*. Ac poſtmodum v. 3. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux*. Modo primo quæritur, quid ſacer Scriptor cœli & terræ nomine deſignare voluerit. Nos inter varias Interpretum opiniones probabilius arbitramur, Scripturarum more ſanctarum cœli nomen exprimere id omne quod ſupra nos creatum eſt; ſimiliter & terræ nomine quidquid infra nos reſidet, deſignari; excepto dumtaxat ejuſdem cœli & terræ ornatu, quem in ſequentibus diebus inditum rebus omnibus fuiſſe, citato in capite perhibetur.

Supremam itaque, & infimam mundi partem, & quidquid earum ambitu continetur, Deus ante omnia ex nihilo prima die produxit. Ut enim inquit Ambroſius lib. 1. in Hexam. c. 6. *Satis eſt ad præſentem aſſertionem, quod in principio Cœlum fecerit, unde prærogativa generationis, & cauſa: & Terram fecerit, in qua eſſet generationis ſubſtantia. In his enim quatuor illa elementa creata ſunt, ex quibus generantur omnia iſta, quæ mundi ſunt. Elementa autem quatuor, aer, ignis, aqua, & terra, quæ in omnibus ſibi mixta ſunt.*

Eadem quoque die lucem a Deo productam fuiſſe

fuiſſe narratur : quo quidem nomine non ſpiritualis, ſed corporea lux literaliter denotatur; uti communior Patrum ac Interpretum tradit opinio. Uti enim Seraph. Doctor advertit in 2. d. 13. a. 1. q. 1., juxta uſitatum loquendi morem, *nominata luce, niſi determinetur per antecedentia, & conſequentia, lucem intelligimus corporalem, per quam tamen perducimur ad intelligendum ſpiritualia, quia cognitio noſtra incipit a ſenſu; & ſic docet Dionyſius in lib. de div. nominibus.*

Ejuſcemodi vero lux non ſimplex accidens quod ſine ſubjecto eſſe non poteſt, ſed ipſa ſubſtantia dicenda eſt, quam deinde Deus in partes diſtribuit, & in igneos veluti globos quarta die coegit, ut ex ea tanquam ex præjacente materia Sol & ſidera formarentur.

Opus autem ſecundæ diei ita a Moſe deſcribitur Gen. 1. v. 6. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis. &c.* Quid igitur firmamenti nomine veniat, nunc inquirimus; & probabiliter opinando reponimus, eo vocabulo totam aeris regionem intelligi, quæ a terra ad ſupremum uſque cœlum extenditur. Dicitur autem, quod Deus ſecunda die fecerit firmamentum; non quod aerem quoad ſubſtantiam tunc primo produxerit; ſed quia tunc aer accepit, ut aquas ab aquis ſua expanſione & extenſione divideret.

Licet vero nonnulli Veterum ſupra ſidereum cœlum veras aquas eſſe putaverint; nos tamen cum Hieronymo in epiſt. 82. alias 83. ad Oceanum, & cum aliis recentioribus præſertim Doctoribus, ſuperiorum aquarum nomine tenuiſſimos terreſtrium aquarum vapores intelligimus, qui pluviam efficiunt, dum denſantur in nubes. Quod profecto poteſt innumeris Scriptura-

rum oraculis illuſtrari, quorum aliqua ſubjungemus. Legitur enim Jobi 26. v. 8. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum*. Et Pſalmo 146. v. 8. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam*. Jeremiæ denique c. 10. v. 13. *Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo, & elevat nebulas ab extremitatibus terræ*. Quamvis itaque Deus firmamentum, cœlum citato in textu vocaverit; aquarum tamen nomine, quæ ſuper firmamentum eſſe dicuntur, nubes ac vapores in aerea regione contenti, non male poſſunt intelligi.

Ubi illud quoque notandum eſt, quod etſi ex aquis ſuperioribus aliqua pars in pluviam reſoluta deſcendat in terras, & aquis inferioribus miſceatur; non tamen ita miſcetur, ut tollatur firmamentum, hoc eſt, illud aeris interſtitium, quod inter utraſque medium invenitur; ſemper enim in ſuperioribus magna aquarum copia remanet, novique præterea vapores a terra ſurſum aſcendunt: quo nempe verum redditur, aquas ſuper aquas in firmamento ſemper exiſtere.

De tertiæ diei opere hæc leguntur Gen. 1. v. 9. *Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum: & appareat arida*. Ac deinde v. 11. ſubdit: *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum* &c. Poſtquam igitur ſecunda die Deus ſuperiores aquas ab inferioribus diviſiſſet, volens præparare terram, ut congruam manſionem præberet hominibus, juſſit, ut inferiores aquæ, quæ terram adhuc uſquequaque tegebant, in locum ſuum unirentur, & a terra recederent: ac deinde

inde præcepit, ut hæc herbas, plantaſque produceret.

Referens poſtea Moſes opus quartæ diei, ſcribit Gen. 1. v. 14. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem* &c. Qua in re probabilius nobis dicendum eſſe videtur, quod Deus ex lucis ſubſtantia prima die productæ, Solem & Stellas fixas quæ proprio lumine fulgent, effecerit. Lunam vero alioſque Planetas, qui opaca ſunt corpora, ex craſſa denſaque materia fuiſſe compactos, dubitare non poſſumus.

Sol denique, & Luna luminaria magna dicuntur, non ob quantitatem molis, ſed ob copiam lucis, quam ſupra terras effundunt: & quia hac in re Sol Lunam excedit; idcirco ille luminare majus, illa minus recte vocatur.

Quintæ deinceps diei opus hiſce verbis exponitur Gen. 1. v. 20. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram in firmamento cœli* &c. Ex quibus evincitur, piſces aveſque omnes ex aquis ea die fuiſſe productas, eiſdemque fæcunditatem a Deo conceſſam.

Sentiunt vero nonnulli, quod aves ex aqua non prodierint, primo quia Gen. 2. v. 19. ſic legitur: *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam* &c. Deinde quia in Hebraico textu non dicitur: *Producant aquæ . . . volatile ſuper terram*; ſed, *Volatile volet ſuper terram*.

At ad 1. cum Auguſtino in lib. 9. de Gen. ad lit. c. 1. reponimus, Scripturam *aut tacuiſſe tunc, unde finxerit volatilia cœli; quia & tacitum poſſet occurrere, ut non de terra utrum-*

que

que accipiatur Deum finxiſſe, ſed tantummodo beſtias agri; ut volatilia cœli etiam tacente Scriptura intelligamus unde finxerit, velut qui ſciamus . . . ex aquis ea eſſe producta: aut terram, ſive humum, univerſaliter ſic appellatam ſimul cum aquis . . . Secundum iſtam univerſalem appellationem terræ, ſecundum quam etiam de toto mundo dicitur, Deus qui fecit cœlum & terram, ſive de arida, ſive de aquis quæcunque creata ſunt, de terra creata veraciter intelliguntur.

Ad alterum reſpondemus, Hebraicum textum omnino cum Vulgata noſtra congruere, ſi ſicuti alibi paſſim, ita & hic pronomen *quod* ſubaudiri dixerimus; ita nimirum ut iſte ſit ſenſus: *Producant aquæ reptile . . , & volatile quod volet: ſive volans ſuper terram*.

Sexta denique die Deus terreſtria animantia, hominemque produxit. *Dixit quoque Deus*, Gen. 1. v. 24. *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas*. Deinde v. 26. *Et ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* &c. Ea igitur die extitere jumenta, quæ vectando & arando nos adjuvant; uti ſunt equi, cameli, boves: & reptilia, quæ ſuper terram aut repunt ut ſerpentes, vel ſaltitant ut locuſtæ: & beſtiæ terræ; hoc eſt, reliquum animalium genus, & maxime feræ, quæ niſi homo peccaſſet, nedum illi nullum attuliſſent incommodum, verum & placidæ ejuſdem paruiſſent imperio. Quæ tandem ad hominis productionem pertinent, infra prolixius expendemus.

Poſtremo poſtquam perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum, inquit Moſes Gen. 2. v. 2. quod *complevit Deus die ſeptimo opus*

ſuum quod fecerat : & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat. Ad intelligendum autem quomodo Deus opus ſuum ſeptimo die compleverit, cum Seraph. Doctore notamus in 2. d. 15. a. 2. q. 3., quod hoc in loco „ quieſcere dicit effectum, non qui ſit in die ſabbati, ſed qui præceſſit : unde Deus dicitur „ quieſcere ab opere, quia prius fecit, & deinde nova non facit ; & propter hoc dicitur „ compleviſſe omne opus ſuum in die ſeptimo: „ non quia tunc aliquid fecerit, quod fuerit ad „ completionem ; ſed quia tunc quieſcendo conſummatum oſtendit.

Requieviſſe vero dicitur Deus non quia antea laboraverat, ſed quia ad perfectionem cuncta perduxit : uti enim eodem in loco ſcribit S. Bonaventura, „ cum duplex ſit agens, quoddam quod movetur, & laborat in ſua operatione, quoddam vero quod nec mutatur „ nec variatur ; illud quod primo modo agit, „ quieſcit per quietationem, quæ quidem eſt „ privatio motus & laboris ; ſicut eſt agens „ creatum : illud vero quod ſecundo modo agit, „ quieſcit quietatione, non quæ ſit laboris „ vel fatigationis privatio ; ſed quæ eſt ceſſatio „ ab opere propter ipſius perfectionem : & ſic „ dicitur Deus ab omni opere quieviſſe, cum „ Univerſum produxerit ad eſſe perfectum „; & „ ſic quievit, cum ad perfectum eſſe deduxit. „ Propter quod dicitur, quod duplex eſt perfectio Univerſi, una præcipua ſecundum eſſe „ permanens, alia eſt ſecundum ipſius eſſe decurrens. Prima attenditur in completa exiſtentia principiorum, & completo numero „ ſpecierum ; quæ quidem ſpecies naturam generis participant ſecundum rectam & ordina-

„ tam

„ tam intenſionem naturæ. Secunda vero per-
„ fectio conſiſtit in productione eorum, quæ
„ per tempora decurrunt, & ſibi ipſis conſe-
„ quenter ſuccedunt, ex cujus ſucceſſionis ordi-
„ natione reſultat quædam unitatis pulchritudo
„ & perfectio. Quoniam igitur ſecundum pri-
„ mam perfectionem Deus Univerſum in ſex
„ diebus ad eſſe produxit; ſcilicet quantum ad
„ completam exiſtentiam principiorum, & quan-
„ tum ad completum numerum ſpecierum; ideo
„ dicitur requieviſſe ab omni opere, quod pa-
„ trarat. Quia vero continue operatur ad re-
„ rum ſucceſſionem per propagationem, & in-
„ dividuorum multiplicationem; ideo dicitur
„ operari uſque modo.

CAPUT VI.

In quo ſpeciatim de voluptatis Paradiſo diſſeritur.

DE voluptatis Paradiſo, quem Deus tertia die plantavit, ſpeciatim nunc breviterque tractabimus; ac præcipue Origenis, Philonis, & quorundam hæreticorum deliria refellemus, qui Paradiſum corporeum viſibilemque non fuiſſe dixerunt.

Propoſitio 1. Paradiſus quem innocens Adam incoluit, locus fuit in terrarum Orbe viſibilis.

Probatur. Quæ de Paradiſo leguntur in Geneſi, per modum narrationis hiſtoricæ proponuntur: non ergo ad allegorias ita poteſt Scripturæ ſenſus inflecti, ut hiſtoriæ veritas excludatur; adeoque Paradiſi locus corporeus eſt dicendus. Et profecto Gen. c. 2. v. 8. & ſequentibus hæc habentur; *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio: in quo poſuit hominem, quem formaverat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave.* &c. Porro corporeus tantum hortus proprio in ſenſu plantatur; & homo corporeus corporeum locum inhabitat.

Hic notandum eſt inſuper, quod 8. verſus ita in Hebræo legatur: Et plantavit Dominus Deus hortum in Heden ab Oriente; & poſuit ibi hominem &c. Modo illud *in Heden*, ſive *in Eden*, quod in LXX. aliorumque Verſioni-

bus invenitur, viſibilem Paradiſi locum evidenter oſtendit.

Ligna etiam quæ producuntur ex humo, corporeoſque ſenſus alliciunt, in ſpirituali tantum ſignificatione exponi non poſſunt. Quod ſi ſpiritualiter Paradiſus accipitur, ſpiritualiter etiam arbores accipiuntur, & fructus; Heva igitur non proprie de fructu comedit, neque vere proprieque peccavit: ergo quæ de protoparentum lapſu firmiſſima fide tenet Eccleſia, fabulis æquabuntur. Egregie S. Epiphanius in Ancorato n. 54. ſcribit: *Si non eſt Paradiſus ſenſibilis, non eſt ficus, non folia, non comedit Heva, ſed jam fabula eſt.*

Fluvius etiam, qui Paradiſum irrigaſſe, & in quatuor capita diviſus fuiſſe in citato contextu deſcribitur, non poteſt niſi ſecundum literæ veritatem intelligi; cum ea capita diſtinctis notiſque nominibus appellentur, diverſaſque terræ regiones irrigare dicantur.

Denique ut legenti contextum facile patet, nihil ibi niſi corporeum deſignatur: ergo & ipſe Paradiſus corporeus ac viſibilis eſt dicendus. Appoſite Chryſoſtomus hom. 13. in Gen. hæc inter alia inquit: *Ideo Moyſes deſcribens Paradiſum, & nomen loci in quo erat, ſcilicet Hedem, & plagam Orientalem quam ſpectabat, & nomina fluminum a Paradiſo egredientium fere nota omnibus, tam ſubtiliter & accurate enarravit; ut non liceret nugari volentibus decipere ſimpliciores, dicendo nullum fuiſſe in terra Paradiſum, ſed in Cælo, & alias fabulas, ſuaque ſomnia jactando.*

Poſtremo alii quoque Eccleſiæ Patres hæretico notarunt errore quotquot Paradiſi deſcriptionem ad allegoricum unice ſenſum deflectere vo-

luerunt. Lege Hieronymum epiſt. 38. ad Pammachium, Auguſtinum lib. de hæreſibus c. 59. Theophilum lib. 2. ad Autolycum, Baſilium hom. de Paradiſo, Theodoretum interrogatione 26. in Geneſim, Sophronium in epiſtola, quæ in VI. Synodo probata eſt. &c.

Objicies. Per voces illas, *Paradiſus*, *Hortus*, *Lignum vitæ*, paſſim in Scripturis, quæ ſunt ſpiritualia deſignantur. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei:* Apoc. c. 2. v. 7. *Hortus concluſus, fons ſignatus: emiſſiones tuæ paradiſus:* Canticorum 4. vv. 12. & 13. Nihil ergo vetat, ut Paradiſus etiam quem Adam incoluit, myſtico exponatur in ſenſu.

Reſp. quod licet aliquando Scripturæ per ea nomina ſpirituales animi delicias & cœleſtia dona deſignent; prout tamen in Gen. c. 2. leguntur, non ita poſſunt per allegoriam intelligi, ut literalis & obvia expoſitio penitus reſpuatur: patet id ex toto contextu, & ex communi Patrum auctoritate, uti ſuperius notatum eſt. Dictis accedant etiam quæ Auguſtinus habet in lib. 13. de C. D. c. 21. *Quaſi propterea non potuerit eſſe paradiſus corporalis, quia poteſt etiam ſpiritualis intelligi: tanquam ideo non fuerint duæ mulieres, Agar & Sara, & ex illis duo filii Abrahæ, unus de ancilla, alius de libera, quia duo teſtamenta in eis figurata dicit Apoſtolus*, Galatarum 4. *Aut ideo de nulla petra Moyſe percutiente aqua defluxerit, quia poteſt & illic figurata locutione etiam Chriſtus intelligi, eodem Apoſtolo dicente*, 1. Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus*. Tradit deinde S. Doctor ſpirituales duas de Paradiſo expoſitiones, ac in fine capitis adjungit: *Hæc & ſiqua alia commodius dici poſſunt de intelligendo ſpiritualiter*

Paradiſo, nemine probibente dicantur; dum tamen & illius hiſtoriæ veritas fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur.

Propoſitio 2. Non in toto terrarum Orbe, ſed in certa ejus regione Paradiſus extabat.

Probatur. Ex dictis apparet, Paradiſum in Oriente fuiſſe plantatum: terra vero non ad Orientem dumtaxat, ſed ad Occaſum etiam, Meridiem, & Aquilonem uſque protenditur.

Deinde aliam terræ regionem præter Paradiſum extitiſſe, apertiſſime demonſtratur ex eo quod legitur Gen. 2. v. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Erat igitur alia terræ regio, in qua conditus homo fuit, & ex qua in Paradiſum fuit deinde translatus.

Tandem Gen. 3. vv. 23. & 24. hæc habentur: *Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt. Ejecitque Adam: & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim:* Cum ergo Deus non de hoc mundo Adamum in peccati pœnam ejecerit, neque Cherubim ad mundi totius cuſtodiam deſtinarit; profecto jam liquet, quod Paradiſum Deus non in toto Orbe, ſed in quadam terræ plaga plantaverit.

Objicies. Niſi homo peccaſſet, ſemper in Paradiſo manſiſſet: atqui primis hominibus ante peccatum dixit Deus Gen. c. 1. v. 28. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Erat ergo Paradiſus in omnem terram uſquequaque protenſus.

Reſp., ex adducto Scripturæ textu non colligi, quod Paradiſus in terra ubique conſtiterit;

rit; ſed ex eo deduci, quod ſi homo in originali juſtitia permanſiſſet, non in Paradiſo dumtaxat, verum & in univerſa terra, quæ Paradiſi inſtar amœna fuiſſet & fertilis, habitaſſet; & hæc eſt omnium fere communis opinio; cum non niſi poſt peccatum terram a Deo maledictam fuiſſe legatur Gen. 3. vv. 17. 18. & 19.

At dices: Fruſtra ſpecialis Paradiſi locus admittitur, cum Deus hominem peccaturum, & ab eo ejiciendum eſſe præſciret:

Reſpondet autem S. Bonaventura in 2. d. 17. dub. 3., quod „ in hoc *Eden* loco decuit ho„ minem poni, ut eſſet ei facilitas perveniendi „ ad patriam, & ut Deus homini oſtenderet „ benevolentiam, cui locum amœniſſimum ad „ inhabitandum præparaverat, ut ſic amœnitas „ exterioris habitaculi correſponderet deliciis „ interioribus, quales habet anima, quæ eſt „ templum Dei, & habebat anima primi ho„ minis. Extra autem hunc locum debuit ho„ mo produci, & ut melius cognoſceret Dei „ beneficium, dum ſe videret quaſi aliunde ad„ ductum; & ut etiam oſtenderet per hoc, „ quod homo non erat ibi factus ad æternali„ ter habitandum, ſed temporaliter peregrinan„ dum. Et quia Deus præſciebat hominis ca„ ſum, in Paradiſo voluit eum collocare, ut „ per ejus ejectionem de loco voluptatis cogno„ ſceret ſenſibiliter quanta bona ſpiritualia ami„ ſiſſet per culpam; cognoſceret etiam nihilo„ minus, quanta eſſet differentia inter eum „ qui Domino obedit humiliter, & eum qui „ ipſum contemnit.

Licet autem hæc a Theologis ſacriſque Interpretibus communi aſſertione tradantur; dum tamen quæritur, in quanam definite Orientis re-

regione Paradiſus extiterit; multiplex illorum opinio eſt, neque certa ad probandum ratio poteſt afferri. Relictis enim eorum fabulis, qui Paradiſum extra terrarum Orbem, aut in ignoto præaltiſſimo monte conſitum fuiſſe ſcripſerunt; putarunt aliqui in Damaſco Syriæ, alii in Palæſtina circa Jordanem, alii in Lybia, alii in Malaca, alii in Sinis, alii denique alibi voluptatis locum eſſe ponendum: ex qua profecto opinionum varietate cum Theodoreto q. 19. in Geneſim inferre merito poſſumus ac debemus, *Deum ignotos feciſſe meatus fluminum Paradiſi, ut amputaret ſuperfluam hominum curioſitatem*. Nos igitur pro inſtituti ratione ad utiliora inveſtiganda progredientes interim admonemus, quod qui hac de re aliquid noſſe voluerint, adire poterunt tum alios, tum vero Calmet, & Berti Paradiſum non prorſus improbabiliter ſtatuentes ſuper altos Armeniæ montes, & in eodem fere loco, ubi poſt diluvium arca quievit. Legendi ſunt etiam Gotti, Fraſſen, aliique, qui varias de Paradiſo agitant quæſtiones.

Præſtat modo, ut de præcipuis Paradiſi arboribus paulo fuſius differamus. Notandum itaque eſt cum Doctore Seraph. in 2. d. 17. dub. 4., quod triplex lignorum genus a Deo fuit in Paradiſo plantatum, ex quo triplex homini provenifſet utilitas: poteſt enim conſiderari homo *aut ex parte corporis, aut ex parte animæ, aut ex parte conjuncti. Si ex parte corporis; ſic erant ligna fructifera, quæ præbebant ei alimenta ad corporis ſubſtentationem. Si ex parte animæ; ſic fuit lignum ſcientiæ boni, & mali, quod ordinabatur ad obedientiæ hominis probationem. Si ex parte conjuncti; ſic erat lignum vitæ, quod faciebat ad vitæ humanæ perpetuationem*. Hoc au-

autem poſito quærimus, an vitæ lignum ex ſui natura, vel ex Dei potius voluntate & gratia immortalitatem homini contuliſſet?

Propoſitio 3. Lignum vitæ immortalitatem homini tribuiſſet ex Dei beneficio, non ex naturali virtute.

Probatur ex Auguſtino, qui in lib. 13. de C. D. c. 20. ſcribit, quod primis hominibus ſtatus immortalitatis *de ligno vitæ, quod in medio Paradiſi cum arbore vetita ſimul erat, mirabili Dei gratia præſtabatur*. Quod docet etiam in lib. 8. de Gen. ad lit. c. 5. Quapropter vere Seraph. Doctor aſſeruit in 2. d. 19. dub. 4., „ quod illud lignum vitæ dicitur ab Auguſtino potuiſſe præſtare perfectam immortalitatem, non quia ex propria virtute poſſet corpus hominis facere incorruptibile, cum hoc ſit ſolius potentiæ divinæ: ſed quia virtute ſibi data habebat ad hoc diſponere, & divina virtus illi ligno tanquam ſacramento aſſiſteret, quæ immortalitatem perficeret.

„ Et quod lignum vitæ hanc poſſet habere „ virtutem, ut ad immortalitatem diſponeret, „ ſatis patet in multis ſimilibus: multa enim „ ſunt aromata, ut myrrha, & balſamus, quæ „ corpus hominis diu a putrefactione conſervant.

„ Quod vero ratione divinæ virtutis aſſiſtentis diceretur, corporibus illis immortalitatem „ præbere; ſimile habetur in ſacramentis, quæ „ dicuntur conferre gratiam, quamvis non ipſam gratiam creant, ſed divina virtus ipſis „ aſſiſtens . . . Sic & in propoſito intelligendum eſt, cum lignum vitæ eſſet primis hominibus in ſacramentum, ſicut dicit Auguſtinus *in citato lib.* 13. *de C. D. c.* 20.

Accedit inſuper, quod immortalitas primi ho-

hominis donum ſupernaturale dicenda ſit, ut in ſequente libro monſtrabitur: atqui donum ſupernaturale ſola naturali virtute obtineri & conſervari non poteſt: ergo immortalitas primi hominis ex ſola ligni vitæ virtute manare non poterat. Dicendum eſt igitur, quod ex Dei gratia lignum vitæ immortalitatem tribuiſſet hominibus, ſi illi in officio permanſiſſent. Lege S. Thomam in 2. d. 19. & q. 6. de malo. Lege etiam Ven. Scotum in 2. d. 19. q. unica.

Objicies. Gen. 3. v. 22. Deus a Paradiſo Adamum ejecit, & dixit: *Ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum*. Ergo perfectam immortalitatem lignum vitæ naturaliter conferebat; alioquin opus non fuiſſet, eum a Paradiſo detrudere.

Reſp. cum S. Thoma in 2. 2. q. 164. a. 2. ad 1. *quod homo, ſi poſt peccatum de ligno vitæ comediſſet, non propter hoc immortalitatem recuperaſſet; ſed beneficio illius cibi potuiſſet vitam magis prolongare. Unde quod dicitur*, & vivat in æternum, *ſumitur ibi* æternum *pro* diuturno. *Hoc autem non expediebat homini, ut in miſeria hujus vitæ diutius permaneret*. Ita quoque reſpondet S. Bonaventura in 2. d. 19. a. 2. q. 2.

Reponi etiam poteſt, quod ea verba: *Ne forte mittat* &c. per ironiam fuerint a Deo prolata, ſicut & ea, quæ immediate præcedunt: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*. Fuit autem Adam e Paradiſo detruſus, tum quia immortalitatem ſibi ex ligno poterat ſtulte promittere, ſicuti promiſit & ſcientiam; tum quia locus voluptatis, in quo ea ligna erant, congruum homini lapſo domi-

ci-

cilium non præbebat, qui ad colendam terram maledicto obnoxiam a Deo fuerat condemnatus: id enim clare indicat verſus ſequens: *Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt.*

Alia demum arbor ſcientiæ boni & mali nomen accepit, non quia illi *acuminis & cogitandi vis inerat*, uti Joſephus aſſeruit in lib. 1. Antiquit. c. 2., aut inſitam a Deo virtutem habuerit conferendi ſcientiam, & rationis uſum, ut alii commenti ſunt: ſed ex eventu ſic dicta eſt; *quia*, inquit Auguſtinus in lib. 8. de Gen. ad lit. c. 6., *ſi poſt prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura tranſgreſſio; in qua homo per experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum.*

CAPUT VII.

Modum explicat, quo primorum hominum corpora fuerunt a Deo formata.

DE homine, præcipuo ſcilicet mirandoque Dei opere, quod ſexta die productum eſt, latius remanet differendum. Et primo quidem hoc in capite modum illum breviter exponemus, quo Adami & Hevæ corpora ſunt effecta.

Quod itaque ad Adamum pertinet, manifeſta ſunt ea verba Scripturæ Gen. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*. Deus ergo inſtar figuli corpus primi hominis de terræ limo, ſive de pulvere humecto plaſmavit; uti explicat Auguſtinus in lib. 13. de C. D. c. 24. Hinc in Scriptura non ſemel homo luto, & Deus figulo comparatur. *Væ qui contradicit fictori ſuo teſta de ſamiis terræ. Numquid dicit lutum figulo ſuo: quid facis &c.* Iſaiæ 45. v. 9. Hinc etiam quia terra & pulvis hebraice אדמה *Adama* vocatur; ideo primus homo Adami nomen obtinuit: & quia denique *Adom*, ſive *Adam* rubicundum rufumque in eadem lingua ſignificat, probabile videtur, terram de qua factus eſt homo, rubei fuiſſe coloris.

Fuit autem Adæ corpus a Deo productum non in infantilibus membris, ſed in perfecta diſpoſitione, qua ſtatim ille poterat terram colere, mundum regere, filios procreare. Unde ſta-

ſtatim ac maſculus & femina creati ſunt, dixit eis Deus Gen. 1. v. 28. *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris* &c. Quibus accedit, quod ſi Deus bruta animantia, & plantas, & cetera denique omnia in perfecto ſtatu produxit; cur non idem de humano etiam corpore dicendum eſt?

Ergo ob eandem pariter rationem Deus non in monſtruoſa gigantum ſtatura, ſed in ordinata pulchraque membrorum extenſione Adæ corpus effecit; uti tam eximio divino operi congruebat. Neque oppoſitum ea verba ſuadent, quæ Joſue c. 14. v. 15. leguntur: *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt:* conſtat autem ex Num. 13. v. ult. poſteros Enac fuiſſe gigantes. Non inquam, hæc obſtant, 1. quia ex hebræo patet Adami nomen citato in loco appellativum eſſe, non proprium; ſcribitur enim cum præfixo ה, quod nomini proprio Adæ non additur. 2. quia Joſue 15. v. 13. Arbe dicitur Pater Enac, a quo Enacim: ergo Arbe eſt pater gigantum, & maximus ille homo, qui eſt ſepultus in Hebron.

Tandem de Hevæ formatione Scriptura ſic loquitur Gen. 2. vv. 21. & 22. *Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem* &c. Nunc ergo quærimus, an mulier ex Adæ coſta ſit vere proprieque formata; nam Origenes, & Cajetanus narrationem illam ad parabolicum detorquere ſenſum perperam conati ſunt.

Propoſitio. Hiſtorico in ſenſu accipienda ſunt, quæ

quæ Gen. 2. de mulieris productione leguntur.

Probatur. Sicut Gen. 2. mulierem de Adami coſta formatam fuiſſe refertur, ita eodem in capite Adamum de limo terræ fuiſſe productum aſſeritur, & Gen. c. 1. piſces & volatilia ex aquis, ex terra vero jumenta, reptilia, & beſtias productas eſſe narratur. Aut ergo omnia parabolice intelligenda ſunt; ſicque conſequens erit, quod quæcunque in Scriptura leguntur, ad parabolicam tantummodo ſignificationem trahere non repugnet; quod neque Cajetanus, neque alius quiſquis ſit ille concedet. Aut ſi non omnia per parabolam dicta ſunt, congruam a Cajetano rationem expoſcimus, cur metaphorico in ſenſu Hevæ productionem intelligat, productionem vero Adæ, aliorumque animantium ſimiliter non exponat.

Deinde nulla apparet abſurditas, ſi in literali ac hiſtorico ſignificatu ſumantur, quæ de formatione mulieris ex coſta viri Scriptura recenſet: ergo licet ea narratio myſticum quoque ſenſum involvat, de quo infra tractabitur; literalem tamen ſenſum conceptis verbis oſtendit, a cujus proprietate recedere nobis omnino non licet. Præclare inquit Auguſtinus in lib. 8. de Gen. ad lit. c. 1. *Narratio in his libris non genus locutionis figuratarum rerum eſt, ſicut in Cantico canticorum: ſed omnino geſtarum eſt, ſicut in Regnorum libris, & hujuſcemodi cæteris. Sed quia illic ea dicuntur, quæ vitæ humanæ uſus notiſſimus habet; non difficile, imo promptiſſime primitus accipiuntur ad literam, ut deinde ex illis, quid etiam futurorum res ipſæ geſtæ ſignificaverint, exculpatur.*

Præterea Adam poſt ſoporem evigilans ait v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de car-*

carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quod falſum profecto foret, ſi mulier ex eo formata non eſſet.

Hanc denique veritatem Eccleſiæ Patres quovis ſeculo docuerunt; uti aperte patet ex Hieronymo in epiſt. ad Philem. ex Auguſtino lib. 12. de C. D. cc. 21. & 27. ex Ambroſio in lib. de Paradiſo c. 12. ex Chryſoſtomo hom. 15. in Geneſim, ex Theodoreto interrogat. 30. in Gen., aliiſque communiter.

Objicies 1. Gen. c. 1. v. 26. dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: Et v. 27. ſequitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam . . . maſculum & feminam creavit eos*. Adam igitur & Heva eodem ſimul tempore creati ſunt; proindeque parabolice ſunt exponenda, quæ in c. 2. de Hevæ formatione ex coſta viri leguntur, cum illa jam ante producta fuiſſet.

Reſp. ex S. Bonaventura in 2. d. 18. a. 1. q. 2. quod *etſi formatio mulieris poſt diem ſextum narretur; non eſt tamen credendum, quod tam longo tempore viri formatio præceſſerit, ſed quod die ſexta de latere viri producta ſit. Illud autem quod ſubditur, intelligendum eſt per recapitulationem; recapitulat enim Scriptura, ut addat*.

Vere igitur ac proprie accipienda ſunt, quæ utroque in capite referuntur: quia enim Adam, & Heva eadem ſexta die fuere producti; idcirco c. 1. dicitur: *Maſculum & feminam creavit eos*: quia vero id eodem momento non contigit; *Adam enim primus formatus eſt, deinde Heva*; 1. ad Tim. 2. v. 13., ideo Moſes c. 2. diſtinctius modum adjunxit, quo Adam de limo terræ, & Heva de viri coſta formati fuerunt.

Tan-

Tandem reponi etiam poteſt cum Seraph. Doct. in q. 1. citati articuli, illud Gen. 1. dictum eſſe *quantum ad productionem animæ, ſecundum quam non eſt formata mulier ex viro, ſed ex nihilo*. Quod ſane verbis illis indicari videtur: *Ad imaginem Dei creavit illum: maſculum & feminam creavit eos*. Dei enim imago in anima, non in corpore ſita eſt.

At dices. Gen. 2. v. 22. de muliere ſtatim formata ſic legitur: *Et adduxit eam ad Adam*. Sed ſi mulier ex Adamo formata fuiſſet, non quaſi e longinquo ad illum fuiſſet adducta.

Verum ideo dicitur, quod Deus Hevam poſt formationem ad Adamum adduxerit, quia illam hujuſce conſpectui ſiſtitit; formata enim Heva fuit, ut viro ſocia eſſet pariter, & ſubjecta. Hoc quoque in ſenſu ibi v. 19. de animantibus terræ & volatilibus cœli legitur, quod Deus *adduxit ea ad Adam*; id eſt, huic tanquam eorum domino præſentavit.

Objicies 2. Si literaliter accipiantur quæ Gen. 2. de formatione mulieris perhibentur, conſequens ſane erit, quod vel Adam, antequam Heva fieret, propter ſuperfluam coſtam monſtruoſum corpus habuerit; aut quod poſt Hevæ formationem detracta coſta imperfectus mancuſque remanſerit: quorum utrumque abſurdiſſimum eſt.

Reſp. ex S. Thoma in p. 1. q. 92. a. 3. ad 2. *quod coſta illa fuit de perfectione Adæ non prout erat individuum quoddam, ſed prout erat principium ſpeciei: ſicut ſemen eſt de perfectione generantis, quod operatione naturali cum delectatione reſolvitur. Unde multo magis virtute divina corpus mulieris potuit de coſta viri formari abſque dolore*. Eodem etiam modo reſpondet

S. Bonaventura in 2. d. 18. a. 1. q. 1. Mancum ergo Adæ corpus detracta coſta non fuit, quia illa ad integritatem ſui corporis non ſpectabat: ceterum etſi ſpectaſſet, cum tamen Deus carnem pro coſta repleverit, neque ſic Adam mutilus remanſiſſet.

Quod tandem ad myſticum hujuſce formationis ſenſum pertinet, perſpicuum eſt Auguſtini teſtimonium in lib. 22. de C. D. c. 17. ubi ait: *Ut in exordio generis humani de latere viri dormientis coſta detracta femina fieret, Chriſtum & Eccleſiam tali facto jam tunc prophetari oportebat. Sopor quippe ille viri mors erat Chriſti, cujus exanimis in cruce pendentis latus lancea perforatum eſt, atque inde ſanguis & aqua profluxit: quæ Sacramenta eſſe novimus, quibus ædificatur Eccleſia. Nam hoc etiam verbo Scriptura uſa eſt*, Gen. c. 2, *ubi non legitur*, formavit, *aut* finxit, *ſed* ædificavit eam in mulierem. *Unde & Apoſtolus* Epheſ. 4. *ædificationem dicit corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Lege etiam hac de re Seraph. Doctorem in 2. d. 18. a. 1. q. 1.

CA-

CAPUT VIII.

In quo rationalis Animæ origo diſcutitur.

HUc uſque de humani corporis formatione tractavimus, nunc de animæ rationalis origine diſputamus, quam Moſes Gen. c. 2. v. 7. ſic expreſſit: *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Stoici itaque, Gnoſtici, Manichæi, ac Priſcillianiſtæ humanam animam putarunt eſſe divinæ ſubſtantiæ portionem, ſive ab ipſa Dei prodiiſſe natura. Pythagoras autem, & Platonici quibus Origenes adhæſit, affirmarunt, animam e cœlo lapſam, & ob præcedentis vitæ delicta in corpus tanquam in carcerem fuiſſe detruſam. Præterea Tertullianus, Apollinaris, aliique dixerunt, quod ſicuti corpus ex corpore, ita anima, quam corpoream autumarunt, ex anima generetur. Dubitarunt denique aliqui quos inter S. Auguſtinus, num rationalis anima a Deo creetur ex nihilo, an vero potius ex propagine ſui generis, per ſpiritualem ſcilicet traducem, oriatur: nunc vero Theologi primam partem communi aſſertione tuentur. Sit igitur

Propoſitio 1. Rationalis anima non eſt pars aliqua divinæ ſubſtantiæ.

Probatur. Plura in Scripturis de anima humana dicuntur, quæ divinæ nequeunt convenire naturæ. *Quare triſtis es anima mea? &*

 qua-

quare conturbas me? Spera in Deo: Pſalmo 41. v. 12. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur:* Ezech. 18. v. 4. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras:* Jacobi 1. v. 21. Alibi etiam Scriptura rationali animæ conſimiles defectus attribuit, quos Divinitati tribuere enorme piaculum, & immanis ſtultitia eſt. Non ergo rationalis anima Dei portio eſt, aut ex propria Dei natura procedit.

Deinde uti advertit S. Auguſtinus in lib. 2. de Geneſi contra Manichæos c. 8. *Factam eſſe animam ab omnipotente Deo, & ideo non illam eſſe partem Dei, vel naturam Dei, manifeſte alio loco ſcriptum eſt, dicente Propheta*, Pſalmo 32. v. 15. Et qui finxit ſpiritum hominis, ipſe fecit omnia. *Et alio loco*, Zachariæ 12. 1. Qui finxit ſpiritum hominis in ipſo. *Ergo factum eſſe ſpiritum hominis manifeſte his teſtimoniis approbatur. &c.*

Seraphicus etiam Doctor plures ad veritatem iſtam oſtendendam rationes adducit in 2. d. 17. a. 1. q. 1., ex quibus ſequentem dumtaxat brevitati ſtudentes exſcribimus: „ Si anima hominis eſſet ex Deo, aut de toto Deo, aut de „ parte: ſi de parte; ergo Deus eſt compoſitus, & habet partem & partem; quod eſt „ omnino falſum. Si de toto; ſed Deus eſt „ immenſus, & infinitus; ergo cujuslibet hominis anima eſt immenſa, & infinita: & ſi „ hoc, quilibet homo eſt omnipotens; quod „ nullus dubitat eſſe falſum.

Merito igitur Patres, & Concilia, & univerſalis Eccleſia Manichæorum inſaniam reprobarunt. Unde S. Leo in epiſt. 93. c. 3. ſcribit: *Quinto capitulo refertur, quod animam hominis divinæ aſſerant eſſe ſubſtantiæ, nec a natura*

tura Creatoris ſui conditionis noſtræ diſtare naturam. Quam impietatem ex Philoſophorum quorundam & Manichæorum opinione manantem, Catholica fides damnat.

Objicies. Dum Deus rationalem animam primo homini tribuit, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem:* Gen. 2. v. 7. At ille qui ſpirat, ex ſeipſo aliquid emittit. Rationalis igitur anima eſt ex ipſa ſubſtantia Dei.

Reſp. diſtinguendo ſenſum auctoritatis, inſpiravit Deus, ut intrinſecum vel materiale principium, nego; ut principium extrinſecum & effectivum, concedo. *Inſpirare*, inquit Doctor Angelicus in p. 1. q. 90. a. 1., *non eſt accipiendum corporaliter. Sed idem eſt, Deum inſpirare, quod ſpiritum facere. Quamvis & homo corporaliter ſpirans, non emittat aliquid de ſua ſubſtantia, ſed de natura extranea.* Ita quoque difficultati huic occurrit S. Bonaventura in loco ſupra citato. Quibus & illud adjungimus, quod quia Spiritus Sanctus in unitate naturæ a Patre Filioque procedit; idcirco Deus eſt, & de ipſa Dei ſubſtantia: at rationalis anima, quæ contingens eſt, finita, mutabilis, neque Deus eſt, neque intrinſecus poteſt ex ipſa Dei ſubſtantia dimanare. Lege S. Auguſtinum in lib. 3. de anima & ejus origine c. 3. & ſequent.

Opponi hic etiam poteſt quod dicit Apoſtolus Act. 17. vv. 28. & 29. *Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei* &c. At reſpondet Seraph. Doctor, „ quod genus dupli„ citer accipi poteſt. Uno modo proprie; & „ ſic dicuntur aliqua convenire in genere, quæ „ conveniunt in aliqua forma, & natura com„ muni. Alio modo accipitur large; & ſic di-

„ cuntur aliqua convenire in genere, in quibus
„ eſt aliqua convenientia ſpiritualis ſecundum
„ habitudinem analogiæ; & ſic dicit Auguſti-
„ nus 12. de Trinitate, quod anima cognoſcit
„ in quadam luce ſui generis, & vocat illam
„ lucem increatam, quam dicit eſſe ſui generis
„ propter hoc quod eſt ſpiritualis, ſicut ani-
„ ma, & ſic intelligitur verbum Apoſtoli.

Dei ergo genus homo vocatur a Paulo, non quia ejus anima communem cum Deo formam habeat, eandemque ſubſtantiam; ſed quia ad Dei imaginem factus eſt ratione ſpiritualis & intellectivæ potentiæ, qua facile valet idolorum agnoſcere vanitatem. Hinc v. 27. & ſeq. hæc habentur: *Quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare, auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile.*

Propoſitio 2. Rationales animæ ante corpora creatæ non ſunt, uti cenſuit Origenes.

Probatur. Rom. c. 5. v. 12. legitur: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Atqui Adam non niſi in corpore peccavit: ergo fabuloſus eſt ille vitæ ſtatus, in quo aſſeritur animas ante corpora deliquiſſe.

Hoc etiam ex Rom. c. 9. v. 11. deducitur, ubi Apoſtolus de Jacob & Eſau ſcribit: *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali* &c. Animæ igitur antequam corporibus unirentur, non peccarunt; imo neque ullatenus extiterunt, ne otioſæ tunc fuiſſe di-

can-

cantur. Et ideo Scripturæ non niſi præſentis vitæ peccata redarguunt, ut nempe nulla fuiſſe præcedentis vitæ delicta manifeſte ſignificent.

Præterea juxta Origenis errorem cauſa mundi faciendi non fuit, ut conderentur bona, ſed ut mala cohiberentur; cenſuit enim animas quæ peccando a Deo receſſerant, adverſa corpora quaſi vincula meruiſſe: at Scriptura aliam faciendi mundi cauſam non oſtendit, quam ut bona fierent a bono Deo. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* Gen. c. 1. v. 31. Legendus hac de re eſt Auguſtinus in lib. 11. de C. D. c. 23.

Tandem pravus Platonicorum error nedum catholicam fidem evertit, ſed philoſophiæ etiam, & experientiæ refragatur. Eſt enim contra philoſophiam, ut ait S. Bonaventura in 2. d. 18. a. 2. q. 2. „ dum ponit animas circuire „ diverſa corpora, cum propria forma in pro„ pria materia habeat fieri: dum etiam ponit, „ quod corpus comparatur ad animam non ſi„ cut perfectibile, ſed ſicut carcer; quod ſi „ verum eſt, homo non eſt vera ſpecies; cum „ ex anima, & corpore non fiat unum. Con„ tra rationem, & ſenſibilem experientiam eſt; „ quia videmus animam, quantumcunque bo„ nam, nolle a corpore ſeparari, ſecundum „ quod dicit Apoſtolus 2. Cor. 5. *Nolumus ex„ poliari, ſed ſuperveſtiri:* quod mirum eſſet, „ ſi ad corpus naturalem aptitudinem & incli„ nationem non haberet, ſicut ad ſuum ſoda„ lem, ſed ſicut ad carcerem. Videmus etiam, „ quod nihil novimus, niſi ea quæ poſtquam „ nati ſumus, didicimus: quod non eſſet, ſi „ animæ noſtræ a primordio creatæ fuiſſent, & „ in cœlo peccaſſent. &c.

Objicies 1. Sap. c. 8. vv. 19. & 20. legitur: *Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Animæ igitur pro præcedentium diverſitate factorum diverſa corpora ſortiuntur.

Reſp. quod textus iſte Origenis errori non faveat; nam ſi Salomonis anima bona erat, ad corpus venire non potuit; cum ut ipſe putavit, anima in terrenum corpus non niſi præcedentis peccati merito deturbetur. Ceterum facilis teſtimonii ſenſus eſt, quod cum Salomon adhuc puer a Deo bonam indolem, animamque ad bonum proclivem acceperit; virtutum poſtea exercitatione, uberiorſque gratiæ beneficio ita profecerit, ut caſtitatem, corporiſque munditiem fuerit aſſecutus.

Objicies 2. Angeli ſimul omnes creati ſunt; quod ex eo contigiſſe videtur, quia ſpiritualitate, ac immortalitate ſunt præditi: atqui hujuſcemodi etiam ſunt animæ rationales: ergo illæ ſimul factæ ſunt omnes, etiam ante quam corporibus jungerentur.

Denique illud ſaltem concedendum eſſe videtur, quod primo die Adæ anima ſit producta. Sicut enim homo per corpus communicat cum brutis, ita cum Angelis animæ ratione communicat: ergo ſicut corpus hominis eodem die cum brutis animalibus productum eſt, ita rationalis ſpiritus ejus debuit cum Angelis eodem die produci: ergo &c.

Reſp. ad 1. cum S. Bonaventura citato in loco, quod incorruptibilitas non eſt tota ratio, cur Angeli creati ſunt ſimul; „ ſed quia ſunt „ incorruptibiles, ita quod non habent inclina- „ tionem ad alicujus alterius rei perfectionem;

„ ani-

„ anima vero cum ſit perfectio corporis, naturalem habet inclinationem ad corpus; & ideo „ quamvis ſit incorruptibilis, & a corpore ſeparabilis, dicendum tamen eſt tunc produci, „ quando facta eſt formatio corporis ſecundum „ exigentiam inclinationis ad corpus, quam non „ eſt ponere in Angelis.

Ad alterum cum eodem Seraph. Doctore reponimus in 2. d. 17. a. 1. q. 3. quod ſimilitudo adducta non teneat: „ productio enim corporis ſic concordat productioni brutorum animalium, ut productio rationalis ſpiritus non „ diſcordet; imo potius illorum imperfectionem ſua dignitate conſervet: productio vero „ ſpiritus ſic concordat productioni Angelorum, „ ut minime concordet productioni corporum „ humanorum, qui quidem ſpectat ad terræ ornatum, cujus ornatus productio ſpectat ad „ diem ſextum.

Propoſitio 3. Hominum Animæ neque per corporalem, neque per ſpiritualem traducem propagantur, ſed a Deo ex nihilo producuntur.

Probatur prima pars. Virtus corporea incorporeum effectum nequit attingere: Rationalis anima incorporea eſt: nequit igitur corporea virtute, ſive corporeo ſeminis traduce propagari. *Impoſſibile enim eſt*, inquit Angelicus Doctor quæſt. 3. de potentia a. 9., *actionem corporeæ virtutis ad hoc elevari, quod virtutem penitus ſpiritualem, & incorpoream cauſare poſſit; nihil enim agit ultra ſuam ſpeciem; imo agens oportet eſſe præſtantius patiente ſecundum Auguſtinum* 12. *ſuper Gen. ad lit.* Cum igitur hominis anima ratione ſpiritualitatis, & intelligentiæ ſuæ ſit quolibet corpore longe perfectior,

cor-

corporeo ſemine, ac materiali agendi virtute produci non poteſt.

Probatur 2. pars. Nequit intelligi, quomodo ex generantium ſemore poſſet ſpirituale ſemen effluere; incorporea enim res partibus caret, neque poteſt in plura diſcindi. Exponi deinde nequit, quidnam virtus illa foret, quam parentis anima ſine propria diminutione in prolem immitteret. Neque igitur per ſpirituale ſemen rationales animæ propagantur.

Firmatur utraque pars ex S. Bonaventuræ doctrina in 2. d. 18. a. 2. q. 3. ubi hæc inter alia ſcribit: „ Si anima eſt ex traduce; aut ergo anima eſt ex carne, aut anima ex anima. „ Ex carne eſſe non poteſt, quoniam impoſſibile eſt ex corpore fieri non corpus: anima „ autem eſt non corpus, ſicut multipliciter pro„ bat Philoſophus, & Auguſtinus. Si ex ani„ ma; aut ergo ex toto, aut ex parte. Ex „ parte non, quia anima eſt ſimplex. Si ex „ toto; ergo cum aliquis generet aliquem, cum „ det ei totam animam ſuam, deſinit habere „ animam, & deſinit vivere: quod ſi hoc eſt „ manifeſte falſum, patet &c.

Probatur 3. pars, quæ deſcendit ex dictis. Quidquid enim ab alio ſuum eſſe participat, vel generatione, vel creatione producitur: Rationalis anima ab alio ſuum eſſe participat, & non generatione, cum id materiali tantum ſubſtantiæ competat; ergo creatione: creationis autem ſolus Deus eſt auctor: humanæ igitur animæ a Deo creantur. Lege S. Thomam in p. 1. q. 90. a. 2.

Accedit & ratio, quam Seraph. Doctor allegat in loco mox citato. „ Animarum crea„ tionem Deus ſibi ſoli debuit reſervare tum

„ pro-

„ propter earum dignitatem, tum propter ea-
„ rum immortalitatem. Propter animarum di-
„ gnitatem, quia cum anima ſit imago Dei,
„ & nata immediate ferri in Deum, & beati-
„ ficari in ipſo, diligendo eum ex toto corde,
„ totum ſuum eſſe immediate debuit ab ipſo
„ habere, ut ipſum ex toto corde teneretur di-
„ ligere.

„ Decuit etiam hoc propter animarum im-
„ mortalitatem: cum enim ſolus Deus ſit, qui
„ habeat vitam in ſemetipſo, & vitam indefi-
„ cientem; ſolus eſt, qui poteſt producere prin-
„ cipium vitæ perpetuum. Cum igitur res in-
„ corruptibilis ſubſtantiari non poſſit in mate-
„ ria tranſmutabili, & operatio creaturæ ſit ſu-
„ per materiam tranſmutabilem, impoſſibile
„ eſt aliquam creaturam animam rationalem
„ producere; & ideo ejus productionem Deus
„ ſibi ſoli debuit reſervare.

Idem quoque ex Patrum auctoritate colligitur. S. Hilarius in lib. 10. de Trin. n. 20. ſcribit, Chriſtum ex Virgine non animam aſſumpſiſſe, ſed corpus; *cum anima omnis opus Dei ſit, carnis vero generatio ſemper ex carne ſit*. Ambroſius in lib. de Arca & Noe c. 4. ait: *Ex nullo homine generantur animæ*. Hieronymus ſuper Eccle. c. 12. v. 7. *Manifeſtum eſt*, inquit, *Deum parentem animarum eſſe, non homines*. Denique Lactantius in lib. de Opificio Dei c. 19. aperte ſic loquitur: *Corpus ex corporibus naſci poteſt, quoniam confertur aliquid ex utroque; de animis anima non poteſt, quia ex re tenui & incomprehenſibili nihil poteſt decedere. Itaque ſerendarum animarum ratio uni ac ſoli Deo ſubjacet* &c. Similia leges apud Leonem M. in epiſt. ad Turibium c. 10. Cyrillum

Alex

Alex. lib. 1. in Jo. c. 9. Theodoretum in lib. 4. *de materia & mundo*. &c.

Præterire tandem nec poſſumus, nec debemus verba Concilii Lateranenſis V. ſeſſ. VIII. in qua præſide Leone X. ita ſtatutum eſt: *Sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes aſſerentes, Animam intellectivam mortalem eſſe, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes; cum illa non ſolum vere, & per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, ſicut in Canone Clementis Papæ V. in Generali Viennenſi Concilio edito continetur; verum & immortalis, & pro corporum QUIBUS INFUNDITUR multitudine ſingulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda ſit*. Quo ſane decreto licet Concilium directe feratur in damnationem eorum, qui mortalem animam, eandemque unicam in cunctis hominibus eſſe dicebant; nihilo tamen minus clare ſe explicat pro ſententia aſſerente, a Deo Animas ex nihilo creari in ſingulis hominibus, dum corpora congrue ſunt formata.

A recenſendis Scripturarum oraculis conſulto ſubſiſtimus; licet enim ea quæ animam ſpiritualem eſſe demonſtrant, demonſtrent pariter, ipſam corporali ſemine non produci; dum tamen de ſpirituali traduce quæſtio vertitur, neutram partem evidenter oſtendunt, uti notavit Auguſtinus in lib. 1. de origine animæ, in epiſt. 28. ad Hieronymum, & 157. ad Optatum. Lege Laurentium Berti in lib. 12. c. 4.

Objicies 1. Legitur in Scripturis, quod rationales animæ ab homine ſint genitæ, factæ, & de femore ejus egreſſæ. *Tulitque* Abram *Sarai uxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui... & animas quas fecerant in Haran:* Gen. 12. 5.

Ge-

Genuit Jacob ſexdecim animas : Ibidem c. 46. v. 18. *Cunctæ animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum , & egreſſæ ſunt de femore illius :* Eodem in cap. v. 29. Seminali igitur propagatione rationales animæ generantur.

Reſp. quod in citatis textibus totus homo per ſynecdochen animæ nomine deſignetur, ſicut & alibi ſæpe idem in Scripturis occurrit; ut cum Jer. 40. v. 14. anima percuti dicitur, dum homo occiditur. *Et hoc ideo*, ait S. Thomas q. 3. de potentia a. 9. ad 1., *quia anima eſt principalior pars hominis , & unumquodque totum videtur eſſe id , quod eſt principalius in eo. Unde totus homo videtur eſſe anima, vel intellectus , ſecundum quod dicitur 9. Ethicorum.*

Eodem inſuper in loco ad 2. addit Doctor Angelicus, quod totus homo dicitur de femore generantis egreſſus, *propter hoc quod virtus ſeminis de femore egredientis operatur ad unionem corporis & animæ , diſponendo materiam ultima diſpoſitione, quæ eſt neceſſitas ad formam , ex qua unione homo habet quod ſit homo. Non autem ita , quod quælibet pars hominis per virtutem ſeminis cauſetur.*

Reponit ulterius Auguſtinus in epiſt. 157. ad Optatum : „ Animæ nomine corpus ſolum „ poſſe ſignificari modo quodam locutionis „ oſtenditur, quo ſignificatur per id quod continetur, id quod continet; ſicut ait quidam, „ *Virgilius ſcilicet Æneidum lib.* 7. Vina coronant: cum coronarentur vaſa vinaria. Vinum enim continetur, & vas continet .... „ Sic enim melius accipitur etiam illud, quod „ Lex inquinari dicit eum, qui intraverit ſuper animam mortuam ; hoc eſt , ſuper defuncti cadaver ; ut nomine animæ mortuæ „ mor-

„ mortuum corpus intelligatur, quod animam
„ continebat.

Objicies 2. Geneſeos 2. ubi mulieris formatio recenſetur, de ea non legitur, ſicuti legitur de Adamo, quod Deus inſpiraverit in faciem ejus ſpiraculum vitæ: Heva igitur quoad corpus, & quoad animam ex Adamo producta eſt. Dicendum ergo eſſe videtur, quod ſolius Adæ anima ex nihilo ſit creata.

Reſp. quod cum Adam poſt Hevæ formationem tantum dixerit Gen. 2. v. 22. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*; neque illud adjunxerit: *Et anima de anima mea*; ſatis oſtendiſſe videtur, animam mulieris factam de viri anima non fuiſſe: alioquin id utique non ſiluiſſet Adam, ut adhæſionem virum inter, & mulierem evidentius demonſtraret. Hinc Seraph. Doctor advertit in 2. d. 18. a. 2. q. 3. quod idcirco *non dicitur in productione animæ Hevæ*: Inſpiravit in faciem ejus, &c. *quia cum idem modus producendi eſſet animam Hevæ, & animam Adæ, non oportuit iterare*. Tandem ſatis oſtenditur, Hevæ quoque animam a Deo immediate fuiſſe creatam per illud, quod Gen. 1. v. 27. legitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum; maſculum & fœminam creavit eos*. Dei enim imago & ſimilitudo in humana mente relucet.

Objicies 3. Homo generat hominem: generat ergo & ipſam animam rationalem. Conſequentia patet primo, quia agens aſſimilat ſibi effectum in forma qua agit: rationalis autem anima eſt forma qua agit homo. Præterea rationalis anima eſt nobilior hominis portio: ſi igitur illa non producitur ab homine, neque ipſe homo producitur.

Reſp.

Reſp. negando conſequentiam. Ut enim ait S. Thomas q. 3. de potentia a. 9. ad 6. „ Si „ forma non ſit ſubſiſtens, ſed eſſe ſuum ſit ſo„ lum in hoc, quod uniatur ei, cujus eſt for„ ma, oportebit, quod generans ſit cauſa ipſius „ formæ, ſicut accidit in omnibus formis ma„ terialibus. Si autem ſit talis forma, quæ ſub„ ſiſtentiam habeat, & non dependeat eſſe ſuum „ totaliter ex unione ad materiam, ſicut eſt in „ anima rationali, ſufficit, quod generans ſit „ cauſa unionis talis formæ ad materiam, per „ hoc quod diſponit materiam ad formam, nec „ oportet, quod ſit cauſa ipſius formæ.

Quamvis itaque agens univocum aſſimilare ſibi effectum intendat in forma qua agit, non ſemper tamen in effectu formam ſimilem producit; ſi ſcilicet illa ſpiritualis ſit, & independenter ab unione cum materia in ſeipſa ſubſiſtat. Qua in re notat etiam S. Bonaventura in loco mox citato, quod vis generativa „ etſi „ principaliter reſpiciat animam per modum „ moventis & agentis; principaliter tamen re„ ſpicit corpus, tanquam illud ex quo produ„ cit: & quoniam deciſio poteſt fieri a corpo„ re, non ab anima; hinc eſt, quod ordina„ tur ad productionem corporis humani, non „ ad productionem animæ rationalis.

Ad hoc itaque ut homo hominem producere dicatur, ſatis eſt, quod producat corpus, illudque ita diſponat, ut aptum ſubjectum ſit, cui rationalis anima copulatur. Nempe quemadmodum Virgo Maria Dei Mater aſſeritur, & tamen neque divinam naturam, neque Verbi Perſonam genuit in ſeipſis; ſed ſolum carnis ſuæ materiam miniſtravit, cui Dei Filius ſubſtantialiter eſt unitus.

Ex

Ex dictis manifeſte ratio patet, cur brutum in bruto corpus animamque producat; homo vero corpus dumtaxat efficiat. Ut enim ait S. Bonaventura laudato in loco, „ anima bruti „ cum ſit forma tantum, & forma corruptibi- „ lis, poteſt de potentia materiæ educi: anima „ vero rationalis, cum ſit hoc aliquid incor- „ ruptibile, nec educatur de materia præjacen- „ te, neceſſe eſt eam ex nihilo educi, & ita „ creari. Quod autem non poſſit produci ex „ materia præjacente, multipliciter oſtendit „ Auguſtinus ſuper Geneſim ad lit. libro 10., „ quod illa materia præexiſtens nec poſſit eſſe „ corporalis, nec ſpiritualis. “ At de irrationalis animæ natura conſulendi ſunt Philoſophi.

Inſtabis. Quamvis homo per proprios actus ad ſuſceptionem ſanctificantis gratiæ animam ſuam præparet, ac diſponat; non tamen homo, ſed Deus animam ſanctificat, quia gratiam ipſe infundit, & creat. Ergo ſi homo corpus tantum diſponeret ad rationalis animæ receptionem, non homo, ſed ſolus Deus hominem procrearet.

Reſp., quod dum homo corpus diſponit, ut rationalem animam recipiat, id per naturæ ſuæ virtutem præſtat, & per formam phyſice ſimilem formæ, quæ a Deo producitur: unde ex ea corporis diſpoſitione juxta primam Dei inſtitutionem neceſſario ac naturaliter ſequitur unio, qua corpus & anima ſimul hominem conſtituunt. Ad ſanctificantem vero gratiam non naturæ vigore, ſed actualis gratiæ beneficio ſe homo diſponit; idque non per formam phyſice ſimilem efficit, nam merendo dumtaxat, non naturaliter influendo gratiam adipiſcitur.

Cum igitur diſpoſitio illa corporis naturalem virtutem hominis non excedat, per illam homo dicitur hominem generare, etſi ſolus Deus animam ex nihilo creet: cum vero diſpoſitio animæ ad gratiam, ſicut & ipſa animæ gratiæque conjunctio, naturalem hominis ſuperet facultatem; idcirco ſolus Deus gratiam creat, ſoluſque ſanctificat.

Ceterum ſi moraliter, & ſub meriti ratione loqui velimus; nihil officit, quin dicamus, hominem Dei adjuvante gratia ſanctificare ſeipſum. *Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas:* Eccli. 2, 20. *Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe:* Joannes in Epiſt. 1, c. 3. v. 3. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei:* 2. ad Cor. c. 7. v. 1.

Quomodo autem hæc ſententia cum peccati originalis traductione, & exiſtentia componatur; alibi erit ex profeſſo & uberrime demonſtrandum.

CAPUT IX.

Ubi de ſpiritualitate, & immortalitate rationalis Animæ breviter diſputatur.

PRopoſitio 1. Hominis anima ſpirituali prorſus & incorporea conſtat eſſentia. Eſt aſſertio iſthæc contra Sadducæos, Atheos, Epicureos, alioſque, & etiam contra Tertullianum, qui humanam animam immortalem quidem, non ſpiritualem aſſeruit.

Probatur. Rationalis anima ſæpe in Scripturis ſpiritus appellatur. *Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat; & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* Ecclæ. c. 12. v. 7.

Jobi etiam c. 20. v. 3. hominis anima dicitur *Spiritus intelligentiæ*, hebraice, *Ruah binah;* quibus ſane verbis incorporea prorſus natura ſignatur, prout etiam diſtincta eſt a brutorum animabus, quæ minus proprie ſpiritus aliquando dicuntur.

Chriſtus quoque dum Patri animam commendavit, dixit Lucæ 23. v. 46. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et Apoſtolus ad Galatas c. 5. v. 17. ſcribit: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.*

Denique in 1. ad Cor. c. 2. v. 11. idem Paulus ita ait: *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.* Atqui τὸ πνεῦμα Dei, ſpiritus eſt ſubſiſtens,

ſiſtens, & omnino corporis expers. Ergo & τὸ πνεῦμα hominis, incorpoream quoque ſubſtantiam animæ deſignat in homine; cum in græco textu tam Dei, quam hominis ſpiritus cum articulo repetatur.

Veriſſime itaque ſcribit Auguſtinus in lib. 10. de Gen. ad lit. c. 24. *Nulla propior natura eſt, qua diligenter inſpecta poſſit etiam Deus, qui ſupra omnem creaturam ſuam incommutabilis permanet, incorporaliter cogitari, quam ea quæ ad ipſius imaginem facta eſt: & nihil vicinius, aut fortaſſe nihil tam conſequens, quam ut credito, quod anima corpus ſit, etiam Deus corpus eſſe credatur.* Hoc idem Patres alii, & Concilia perpetuo docuere conſenſu, quorum teſtimonia recenſere non expedit, cum nullum de eorum aſſertione ſit dubium.

Suffragatur & ratio. Rationalis anima ſpiritualia objecta cognoſcit: ergo corporea eſſe non poteſt; operari enim, uti Scholæ loquuntur, ſequitur eſſe; & ſpecifica ac proxima proportio potentiam inter objectumque verſatur. Egregie S. Auguſtinus in lib. de quantitate animæ c. 13. inquit: *Si corporea corporeis oculis mira quadam rerum cognatione cernuntur; oportet animum, quo videmus illa incorporalia, corporeum corpuſve non eſſe.*

Præclare etiam appoſiteque Caſſiodorus in lib. de anima c. 4. ſic ait: „ Quamvis anima „ ipſius corporis mole prægravetur, tamen operationes rerum ſollicita curioſitate perpendit, „ cœleſtia profunde cogitat, naturalia ſubtili „ indagatione veſtigat, & de ipſo quoque Conditore ſuo ardua noſſe deſiderat. Quod ſi eſſet corporalis, cogitationibus ſuis ſpiritalia „ non cerneret utique, nec videret. Ceſſet er-

„ g de ejus corporeitate ſuſpicio; quando &
„ definitionem corporis a ſe omnibus modis
„ reddit alienam; & tales cauſas exquirit, ad
„ quas ſolus ſublimis ſpiritus pervenire conten-
„ dit. Hinc eſt quod & Scripturis Sanctis ju-
„ ſtiſſime commonetur omnia mundi iſtius vi-
„ ſualia contemnere, quoniam ipſa incorporea
„ eſt: ut merito ad ſpiritualia tendat, quibus
„ ſe ſimilem cognoſcit eſſe formatam.

Eadem quoque veritas ex rationalis animæ libertate probatur. Uti enim ex intimo conſcientiæ ſenſu unuſquiſque cognoſcit, extat in homine libertatis arbitrium: atqui ſi rationalis anima ſpiritualem non haberet eſſentiam, frui ille libertate non poſſet; nam per corporeum organum ad corporeum objectum amore vel odio proſequendum determinari omnino deberet, animique mores corporum motus neceſſario ſequerentur. Lege S. Bonaventuram in 2. d. 25. p. 3. a. 1. q. 1.

Propoſitio 2. Hominis anima eſt pariter immortalis.

Probatur præcipuum iſtud Chriſtianæ fidei dogma innumeris Scripturarum oraculis, ex quibus aliqua ſeligemus. Sapientiæ c. 3. vv. 1. & ſequen. hæc leguntur: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori*..., *illi autem ſunt in pace* &c.

At etiam Chriſtus Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.*

Tandem Apoſtolus in 2. ad Cor. c. 5. v. 1. dicit: *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus* *no-*

noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.

Probatur præterea theſis multiplici ratione, quam Seraph. Doctor adducit in 2. d. 19. a. 1. q. 1. „ Nullum bonum eſt irremuneratum, „ & nullum malum impunitum eſt apud eum „ qui juſte judicat: ſed multa bona remanent „ irremunerata, & multa mala impunita ſecun- „ dum præſentem vitam: ergo eſt ponere aliam „ vitam, quam hanc: ſed hæc non eſſet, niſi „ anima remaneret poſt corpus: ergo &c." De hoc argumento inter Patres alios legendus eſt Chryſoſtomus hom. 4. de Providentia.

Addit ulterius S. Bonaventura: „ Omnis „ anima rationalis naturaliter appetit beatitu- „ dinem: ſed nihil eſt otioſum in fundamento „ naturæ: ergo omnis anima rationalis nata eſt „ ad beatitudinem pervenire; ubi autem bea- „ titudo, ibi perfecta ſecuritas; & ubi perfe- „ cta ſecuritas, ibi immortalitas; ubi enim „ mors poteſt accidere, neceſſe eſt timere.

Deinde „ omnis virtus, quæ per receſſum, „ & impermixtionem cum corpore corruptibili „ fortificatur, & potentior efficitur, eſt incor- „ ruptibilis per naturam: Anima rationalis eſt „ hujuſmodi, ſicut patet; quia tanto magis re- „ velatur ſpiritus, & homo interior, quan- „ to magis mortificatur homo exterior: Vir- „ tus igitur animæ rationalis eſt incorruptibilis; „ & ſic ex illa virtute colligitur, animam ra- „ tionalem eſſe immortalem.

Præterea „ omnis virtus corruptibilis læditur „ ab objecto improportionabiliter excellenti, & „ magis nata eſt delectari in medio, quam in „ extremo; ſed anima rationalis intelligens ma-

„ jora & maxima, non propter hoc pejus in„ telligit minora ; & magis delectatur in co„ gnitione ſummæ lucis, & perceptione ſapien„ tiæ Dei, quam in cognitione alicujus creati.

Sunt & aliæ rationes, quas Seraph. Doctor adhibet, ut catholicum dogma confirmet; ſed brevitatem ſtudioſe ſectantes, omnia hic adferre non poſſumus. Advertimus autem, quod rationalis animæ immortalitas nedum Patrum ac Conciliorum auctoritate probetur, verum & ex Gentilium confeſſione monſtratur. Ut enim Auguſtinus in Serm. 240. de tempore ſcribit: *Philoſophi ſæculi hujus, qui magni fuerunt & docti, & cæteris meliores, animam humanam immortalem eſſe ſenſerunt; nec ſolum ſenſerunt, ſed quantis potuerunt argumentationibus defenderunt, & ipſas defenſiones ſuas conſcriptas poſteris reliquerunt*. Teſtatur hoc idem Tullius in libro de Amicitia, ubi ait: *Plus apud me Antiquorum valet auctoritas, vel Majorum noſtrorum, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt; quod non feciſſent, ſi judicaſſent, animam ſimul cum corpore interire*. Legendus hac de re eſt Auguſtinus Calmet in Diſſertatione de Natura Animæ, ubi hanc rem erudite copioſeque pertractat.

Objicies contra 1. partem cum Tertulliano in libro de Anima c. 7. Conſtat ex Lucæ c. 16. quod Divitis anima apud inferos doleat, & puniatur in flamma, & crucietur in lingua, & de felicioris animæ digito ſolatium roris imploret. Hominis igitur anima corporea dicenda eſt, ſi corporalibus membris inſtruitur, premiturque dolore.

Reſp. quod humani corporis membra non proprie, ſed per metaphoram rationali animæ tri-

tribuantur. Cum enim Chriſtus narrationem ſuam ab illo inchoaſſet tempore, quo Dives, & Lazarus inter vivos agebant; de illis etiam poſt mortem, ac ſi adhuc corporalem vitam ducerent, verba proſequitur; ut nempe Judæorum turba rebus ſenſibilibus aſſueta, unius tormenta, & alterius gaudia faciliori intellectu conciperet. Sed & S. Auguſtinus in lib. 4. de Anima & ejus origine c. 16. Vincentium Victorem qui ex objecto textu animam eſſe corpoream inferebat, negabat autem Deum eſſe corporeum, verbis hiſce confutat: *Quid igitur cauſæ eſt, cur nomina iſta membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An vero quando de creatura hæc dicuntur, proprie accipienda ſunt, quando autem de Creatore, tropice, atque translate? Pennas itaque corporeas daturus es nobis, quoniam non Creator, ſed creatura, ideſt homo*, dicit, Pſalmo 138. 9. Si aſſumpſero pennas meas ſicut columba. *Porro autem, ſi propterea linguam habebat Dives ille corpoream, quoniam dicit, refrigeret linguam meam; in nobis quoque adhuc in carne viventibus, manus habet ipſa lingua corporea, quia ſcriptum eſt*, Proverb. 18. 21. Mors, & vita in manibus linguæ. &c.

Dolere autem rationalis anima dicitur, etiam dum extra corpus manet, non quatenus dolor eſt partium violenta diviſio, ſed quatenus diſſenſio eſt a rebus illis, quæ accidunt nolenti, ſpiritumque perturbant. *Et quoniam*, inquit Seraph. Doctor in 4. d. 44. p. 2. a. 3. q. 2., *potentiæ animæ, quæ ſunt ejus partes, quodammodo poſſunt in ſuis operationibus inquietari, & impediri occaſione accepta; hinc eſt, quod ſpiritus dolere poteſt, & affligi*. At de hoc argu-

mento alibi fuſius differemus.

Inſtat Tertullianus ibidem c. 5. „ Anima
„ compatitur corpori, cui læſo ictibus, vul-
„ neribus, ulceribus, condoleſcit; & corpus
„ animæ, cui afflictæ cura, angore, amore
„ cohæreſcit per detrimentum proprii vigo-
„ ris; cujus pudorem, & pavorem, rubo-
„ re, atque pallore teſtatur: igitur anima eſt
„ corpus ex corporalium paſſionum commu-
„ nione.

Verum cum anima licet ſpiritualis, ſit tamen humani corporis forma, eidemque intime conjungatur; ex ipſa unionis lege derivat, ut mutua fiat communicatio paſſionum, ita quod dolente corpore triſtetur anima; non quidem corporei doloris ſenſatione percepta, ſed interiori affectu, quo ipſa ſubjectum ſuum, corpus nempe, proſequitur. Ita viciſſim, quia corpus ab anima tanquam ab actu ſuo formaque movetur, oportet, ut in eo diverſarum animæ affectionum ſigna cernantur. Lege S. Bonaventuram in 2. d. 19. a. 1. q. 1.

Objicies contra 2. partem. Scribit Eccleſiaſtes c. 3. vv. 19. & 20. *Unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: cuncta ſubjacent vanitati. Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur.* Sicut igitur jumentorum, ita & hominum animæ ſunt mortales. Ne enim putarent aliqui, hoc in loco de ſola corporum conditione tractari; idcirco v. 21. ſubjungitur: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?*

Reſp.

Reſp. cum S. Bonaventura in expoſitione hujuſce loci, quod ſimilitudo, quam Eccleſiaſtes inducit, non ad animas, ſed ad corpora refeatur, & in triplici ratione conſiſtat; in morte ſcilicet, in vita, & in materia. Prima ſimilitudo monſtratur, dum dicitur: *Sicut moritur homo* &c. ſecunda, dum ſubjungitur: *Similiter ſpirant omnia* &c. tertia denique, dum additur: *Cuncta ſubjacent* &c. *Et omnia pergunt ad unum locum: de terra* &c. Cum igitur hominis quidem corpus de terra factum ſit, anima vero non item; idcirco iſta morti non ſubjacet, nec in terram, dum moritur homo, revertitur. Hinc humanam animam a Deo creari, evidenter apparet ex Gen. c. 2. v. 7. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Jumentorum autem aliorumque brutorum animas de terra fieri, conſtat ex Gen. c. 1. v. 24. *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ* &c. Lege & v. 20. hujuſce capitis. Quoad corpus itaque, non quoad animam æqua eſt hominis brutique conditio.

Ea denique verba: *Quis novit* &c. dumtaxat oſtendunt, quod homo non ſecundum fidem, ſed ſecundum carnem ambulans, non ita facile humanæ animæ immortalitatem agnoſcat. Licet enim naturali etiam ratione non obſcure monſtretur, quod Juſtorum animæ ad remunerationem ſurſum aſcendant, deſcendantque deorſum in corruptionem animæ jumentorum; quia tamen ait citato in loco S. Bonaventura, *ratio illa & philoſophia occulta eſt, & multas habet rationes dubitandi; ideo fere nullus, & pauci poſſent vere certificari de animæ immortalitate & ejus beatitudine, niſi adjuvaret fides. Unde & Pla-*

to

to qui animam poſuit immortalem; rurſus erravit in beatitudine, quia poſuit animas brutorum corpora circuire. Eccleſiaſtes igitur hoc non negat, nec dubitat; ſed dicit, hoc eſſe difficile demonſtrare; & hoc quidem verum eſt infideli. Tandem quid Sapiens ipſe crediderit, manifeſte colligitur ex v. 17. objecti capitis, & ex v. 7. c. 12. & alibi paſſim. Legendus eſt etiam Seraph. Doctor in 2. d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. argumentum.

Objicies 2. Quod ex nihilo factum eſt, verti poteſt in nihilum; debet enim finis correſpondere principio: atqui rationalis anima creatur ex nihilo: ergo in nihilum pariter verti poteſt.

Reſp. cum S. Thoma in p. 1. q. 75. a. 6. ad 2. „ quod ſicut poſſe creari dicitur aliquid „ non per potentiam paſſivam, ſed ſolum per „ potentiam activam creantis, qui ex nihilo „ poteſt aliquid producere; ita cum dicitur „ aliquid vertibile in nihil, non importatur in „ creatura potentia ad *non eſſe*, ſed in Creato„ re potentia ad hoc, quod *eſſe* non influat: di„ citur autem aliquid corruptibile per hoc quod „ ineſt ei potentia ad *non eſſe*.

At urgebis. Anima eſt forma corporis, unumque compoſitum cum eo conſtituit; naturaliter itaque tendit ad corpus: ergo contra naturam ejus eſt, quod a corpore ſeparetur, & ſola ſubſiſtat: extincto igitur corpore, naturaliter perit & anima.

Reſp., eſſe quidem contra naturalem intelligentis animæ inclinationem, quod a corpore ſejungatur; cum illa forma ſit corporis: at quia eſt etiam ſpiritualis, ex ſui natura id quoque requirit, ut pereunte corpore ipſa non pe-

pereat. Quamvis igitur ſeparatio a corpore violenta ſit animæ; non tamen naturæ ejus opponitur, quod poſt ſeparationem ſola ſubſiſtat, & ſpiritualiter operetur. Videnda hic iterum ſunt, quæ de Angelorum ſpiritualitate & immortalitate præcedente in libro tradidimus.

CAPUT X.

Rationem exponit, qua homo ad Dei imaginem & ſimilitudinem conditus affirmatur.

HOminem ad Dei imaginem factum eſſe apertiſſime conſtat ex Gen. c. 1. v. 26. ex Sap. 2. v. 23. ex Eccli c. 17. v. 1. atque ex aliis Scripturæ contextibus. Uti vero Theologi adnotarunt, ad rationem imaginis primo requiritur, ut ſive per naturam, ſive per artem ab eo, cujus imago dicitur, oriatur. *Similitudo*, inquit Doctor Angelicus in p. 1. q. 93. a. 1., *eſt de ratione imaginis, & imago aliquid addit ſupra rationem ſimilitudinis, ſcilicet quod ſit ex alio expreſſa. Imago enim dicitur ex eo quod agitur ad imitationem alterius. Unde ovum quantumcunque ſit alteri ovo ſimile, & æquale; quia tamen non eſt expreſſum ex illo, non dicitur eſſe imago ejus.*

Oportet ulterius, quod ſimilitudo ad imaginem requiſita non in generico tantum prædicato, aut in communi quodam accidente, ſed in ſpecifica ratione conſiſtat. *Non enim*, ait laudato in loco S. Thomas a. 2., *poſſet dici, quod vermis, qui oritur ex homine, ſit imago hominis propter ſimilitudinem generis. Neque iterum poteſt dici, quod ſi aliquid fiat album ad ſimilitudinem alterius, propter hoc ſit ad ejus imaginem, quia album eſt accidens commune pluribus ſpeciebus. Requiritur autem ad rationem ima-*

imaginis, quod ſit ſimilitudo ſecundum ſpeciem, ſicut imago Regis eſt in filio ſuo; vel ad minus ſecundum aliquod accidens proprium ſpeciei, & præcipue ſecundum figuram, ſicut hominis imago dicitur eſſe in cupro.

Ex quibus evincitur, quod ſolæ rationales creaturæ ad Dei imaginem factæ ſint, irrationales vero non item. Ut enim Seraph. Doctor ait in 2. d. 16. a. 1. q. 1. *Imago dicit expreſſam ſimilitudinem. Neceſſe eſt autem omnem creaturam quoquomodo aſſimilari Deo, neceſſe eſt etiam aliquam ad compl mentum Univerſi expreſſe aſſimilari Deo: & ideo omnis creatura habet rationem veſtigii; ſed aliqua habet rationem imaginis, illa videlicet quæ aſſimilatur expreſſe: hæc autem eſt rationalis creatura, ut homo*.

Addit præterea S. Thomas in citata quæſt, 93. a. 6. quod ſi attendamus ad modum quo repræſentat veſtigium, & quo repræſentat imago, perſpicue cognoſcemus, cur creaturæ ratione carentes Dei imaginem non includant. *Imago enim*, inquit ille, *repræſentat ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ut dictum eſt, veſtigium autem repræſentat per modum effectus, qui ſic repræſentat ſuam cauſam, quod tamen ad ſimilitudinem ſpeciei non pertingit. Impreſſiones enim, quæ ex motu animalium relinquuntur, dicuntur veſtigia. Et ſimiliter cinis dicitur veſtigium ignis, & deſolatio terræ veſtigium hoſtilis exercitus*. Irrationales itaque creaturæ non Dei imagines, ſed veſtigia dici poſſunt.

Denique jam patet ex dictis, quod non hic de imagine perfecta loquamur, quæ naturæ identitatem expoſcit, eo namque in ſenſu Divinum dumtaxat Verbum dicitur Patris imago; de imperfecta igitur imagine diſputamus, quæ po-

poteſt in aliena etiam natura conſiſtere. Sit itaque

Propoſitio I. Homo non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam ad Dei imaginem factus eſt. Hoc fidei dogma communiter a Patribus ac Theologis propugnatur.

Probatur. Similitudo quam imago requirit, ſecundum ſpecificum aliquod prædicatum, non ſecundum genus attenditur; uti ſuperius notatum eſt: atqui corpus cum Deo non poteſt niſi in generica tantum notione entis & ſubſtantiæ convenire: ergo.

Accedit, quod poſtquam Deus Gen. c. I. v. 26. dixerat: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; ſtatim adjunxit: *Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis &c.* Atqui homo non per molem corporis, ſed per aciem mentis brutis animantibus dominatur & præeſt. *Omnia enim animalia cætera*, ait Auguſtinus in lib. de Gen. contra Manichæos c. 17., *ſubjecta ſunt homini, non propter corpus, ſed propter intellectum, quem nos habemus, illa non habent.*

Præterea homo non ſecundum corpus, ſed ſecundum mentem ad Dei imaginem renovatur: ergo etiam non ſecundum corpus, ſed ſecundum mentem ad Dei imaginem creatus eſt. Unde ſcribit Apoſtolus ad Coloſſ. 3. vv. 9. & 10. *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Quod legitur etiam ad Epheſios c. 4. vv. 23. & 24. Argumentum autem ex Auguſtino deductum eſt, qui in lib. 12. de Trin. c. 7. ait: *Si ergo ſpiritu mentis noſtræ renovamur, & ipſe eſt novus homo, qui renova-*

tur

tur in agnitione Dei ſecundum imaginem ejus qui creavit eum; nulli dubium eſt, non ſecundum corpus, neque ſecundum quamlibet animi partem, ſed ſecundum rationalem mentem, ubi poteſt eſſe agnitio Dei, hominem factum ad imaginem ejus qui creavit eum.

Propoſitio 2. Idcirco rationalis Anima ad Dei imaginem facta eſt, quia cum unius ſit illa ſubſtantiæ, tribus eſt inſtructa potentiis, intellectu ſcilicet, memoria, & voluntate.

Probatur ex Ambroſio qui in lib. de dignitate conditionis humanæ c. 11. ſcribit: *Sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria... Et ſicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus eſt; non tamen tres dii ſunt, ſed unus Deus, tres habens Perſonas: ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria; non tamen tres animæ in uno corpore, ſed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo.*

Item Auguſtinus in lib. 14. de Trin. c. 8. ait: *Ecce ergo mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe: hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem; nondum quidem Deum, ſed jam imaginem Dei.* Similia docet in lib. 10. c. 11. & alibi ſæpe.

Deinde uti argumentatur S. Bonaventura in 1. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. „ Ratio imaginis con-
„ ſiſtit in perfecta capacitate, quia ſecundum
„ Auguſtinum *in lib. 14. de Trin. c.* 8. eo eſt
„ mens imago, quo poteſt eſſe capax, & par-
„ ticeps Dei: Sed Deus non capitur ab anima
„ plene, niſi ametur; neque amatur, niſi in-
„ telligatur; nec intelligitur, niſi præſens apud
„ ani-

„ animam habeatur: ſed primum eſt per vo„ luntatem, ſecundum per intelligentiam, ter„ tium per memoriam: ergo &c. " Eadem habet Doctor Angelicus in p. 1. q. 93. a. 6. & 7.

Ratio igitur divinæ imaginis, quæ relucet in anima, in eo rectiſſime collocatur, quod hæc unam habeat ſpiritualem eſſentiam, ſimulque triplici facultate ſit prædita, intellectu nempe, memoria, & voluntate. Ut autem facultates iſtæ ſuo modo exprimant Trinitatem, accipiendæ ſunt prout cum ſuis actibus copulantur; ita nimirum ut anima quatenus eſt principium productivum intellectionis, Patrem adumbret; quatenus vero intelligit, verbumque productum in ſeipſa complectitur, Filium repræſentet; quatenus denique producit amorem, Spiritus Sancti Perſonam oſtendat. Sicut enim amor eſſe nequit ſine cognitione, & principio cognitionis productivo, quod memoria fæcunda vocatur, & eſt ipſemet intellectus, dum objectum reſpicit ſibi præſens; ita & Spiritus Patrem & Filium præſupponit, ſine quibus eſſe non poteſt, & a quibus realiter eſt diſtinctus. *Imago*, inquit S. Bonaventura in loco paulo ante citato, *attenditur in his tribus potentiis cum comparatione ad unitatem eſſentiæ, & pluralitatem actuum, in quibus eſt diſtinctio, & ordo, & origo unius ab altero per modum quendam diſponendi*. Huic doctrinæ conſentiunt S. Thomas laudata in quæſt., & Ven. Scotus in 2. d. 16. q. unica.

Objicies contra 1. partem. Legitur Gen. c. 1. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & feminam creavit eos*. Atqui maſculi feminæque diverſitas ſecundum corpus accipitur. Ergo etiam in corpore Dei imago ponenda eſt.

Reſp.

Reſp. cum S. Thoma in quæſtione citata a. 6. ad 2., quod *Scriptura poſtquam dixerat*, ad imaginem Dei creavit illum, *addidit*, maſculum & feminam creavit eos; *non ut imago Dei ſecundum diſtinctionem ſexuum attendatur, ſed quia imago Dei utrique ſexui eſt communis, cum ſit ſecundum mentem, in qua non eſt diſtinctio ſexuum. Unde Apoſtolus ad Coloſſenſes 3. poſtquam dixerat*, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum, *ſubdit*, ubi non eſt maſculus & femina.

Licet autem homo ſecundum corpus ad Dei imaginem conditus dici non poſſit; erecta tamen humani corporis ſtatura illum ad Dei imaginem factum eſſe non obſcure deſignat. Unde Auguſtinus in lib. 1. de Gen. contra Manichæos c. 17. ſcribit: *Omnium animalium corpora, ſive quæ in aquis, ſive quæ in terra vivunt, ſive quæ in aere volitant, inclinata ſunt ad terram, & non ſunt erecta, ſicut hominis corpus. Quo ſignificatur etiam animum noſtrum in ſuperna, ideſt in æterna ſpiritualia erectum eſſe debere. Ita intelligitur per animum maxime, atteſtante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.*

Objicies 2. Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 11. v. 7. de viro ſcribit: *Quoniam imago, & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt*. Atqui ſi in anima Dei imago conſiſteret, non vir ſolus, ſed & mulier Dei gloria eſſet, & imago.

Reſp. cum S. Thoma in articulo 4. citatæ quæſt. ad 1. quod tam vir, quam mulier Dei imaginem habeat quoad principalem rationem, quæ in intelligente natura reſplendet. *Sed quantum ad aliquid ſecundarium imago Dei inveni-*

 tur

tur in viro, ſecundum quod non invenitur in muliere. Nam vir eſt principium mulieris, & finis: ſicut Deus eſt principium, & finis totius creaturæ. Unde cum Apoſtolus dixiſſet, quod vir imago, & gloria eſt Dei, mulier autem gloria viri; *oſtendit, quare hoc dixerit, ſubdens:* Non enim vir eſt ex muliere, ſed mulier ex viro: etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.

Objicies 3. contra 2. partem, Si imago Dei in intellectu, voluntate, & memoria eſſet reponenda, ſequeretur, quod etiam Angelus ad Dei imaginem factus eſſet: atqui Scriptura id non de Angelo, ſed de homine dumtaxat affirmat.

Reſp., quod nedum homo, ſed & Angelus ratione ſpiritualis eſſentiæ divinam in ſe gerat imaginem; & quidem hic illo perfectius, ſicuti perfectior eſt hujuſce natura: quod colligi poſſe videtur ex eo, quod ait Ezechiel c. 28. v. 12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore:* quæ verba expendens Gregorius hom. 34. in Evangelia ait: *Non ad ſimilitudinem Dei factus, ſed ſignaculum ſimilitudinis dicitur* Angelus, *ut quo in eo ſubtilior eſt natura, eo in illo imago Dei ſimilius inſinuetur expreſſa*. Lege S. Bonaventuram in 2. d. 16. a. 2. q. 1. & S. Thomam in p. 1. q. 93. a. 3.

Addit ulterius Seraph. Doctor in laudata diſt. a. 1. q. 3. *quod Scriptura non determinet conditionem naturæ Angeli expreſſe; ideo non eſt mirum, ſi non determinat ejus modum, nec dicit eam ad imaginem Dei eſſe factam*. Scriptura enim, ut idem S. Doctor ait in 2. d. 13. a. 1. q. 1., principaliter intendit agere de operibus conditionis, & reparationis humanæ; &

tradita primum eſt genti rudi, quæ circa ſenſibilia verſabatur.

Objicies 4. Trinitatis imago perpetuo manet in anima: atqui actus intelligendi, & volendi non ſemper perſeverant in illa: ergo anima per ſuas tantum facultates, non vero etiam per actus exprimit Trinitatem.

Reſp. cum Ven. Scoto in 2. d. 16. q. unica, quod *imago Trinitatis non eſt complete in anima abſolute conſiderata ſub potentiis ſuis, niſi in radice: ſed ut eſt ſub actibus ſuis cum unitate ſuæ eſſentiæ repræſentat Trinitatem; & ſic conſiſtit imago in tribus realiter diſtinctis, non autem in potentiis, quæ realiter non diſtinguuntur*. Unde conſequitur, quod dormientes, & pueri licet non quoad actum, quoad habitum tamen divinam conſervent imaginem. Patet inſuper, quod in homine, & Angelo per peccatum Dei imago deleri non poſſit, ſicuti neque ipſa poteſt deleri natura; uti docet etiam S. Bernardus ſerm. 1. de Annunciatione Domini.

Hac vero in re, ut nonnullæ Patrum auctoritates exponi facile poſſint, quæ oppoſitum aſfirmare videntur, cum Seraph. Doctore in 1. d. 4. p. 2. dub. 1. notandum eſt, quod *imago dicitur dupliciter: uno modo quantum ad ſubſtantiale eſſe; & hoc reſpicit Trinitatem Perſonarum, & ordinem, & æqualitatem; & ſic ſemper permanet. Alio modo, prout ſupra eſſe addit bene eſſe, ut decorem, & honorem; & hoc poteſt perdi: quia homo cum in honore eſſet, non intellexit*.

Objicies 5. Ratio imaginis reponenda videtur in dominio, quod homo a Deo in animantia omnia, & in univerſam terram accepit. Id

enim aperte ea verba ſignificant: *Faciamus hominem* &c. *Et præſit piſcibus maris* &c. Ita quoque ſenſerunt Chryſoſtomus hom. 10. in Gen. Nyſſenus in lib. de hominis opificio, aliique.

Hominem etiam ad Dei imaginem eſſe factum, quatenus libero eſt inſignitus arbitrio, inter alios docuerunt Hieronymus epiſt. 146. Ambroſius lib. 6. in Hexam. c. 8. Damaſcenus lib. 2. de Fide c. 11.

Reſp. quod utique Scriptura principalius per citata verba reſpexerit ad dominium, quod Deus homini ſuper ſenſibilia cuncta conceſſit; non tamen ex hoc rite deducitur, quod ea ſit potiſſima ratio divinæ imaginis, ſed quod per ejuſcemodi dominium tanquam per evidentiorem effectum appareat, hominem ad Dei imaginem eſſe factum. Dicendum eſt igitur, quod libertas arbitrii intellectivam potentiam conſequatur, poteſtas autem rebus aliis dominandi ab intellectu, & arbitrii libertate derivat; proindeque Dei imago primum in intellectu, deinde in libertate arbitrii, ac demum in dominandi poteſtate relucet: & propterea factum eſt, quod Patres aliqui vel primam, vel ſecundam, vel tertiam rationem adducerent, ut Dei imaginem in homine declararent.

Quod ſi poſtremo quæſieris, an inter imaginem, & ſimilitudinem aliquod diſcrimen interſit? Reponemus, plures ex Patribus, ac Theologis affirmaſſe, quod ſimilitudo in citato Geneſeos textu ipſam imaginis perfectionem oſtendat, deſignetque quod Deus hominem ad imaginem ſuam non qualemcunque creaverit, ſed ſibi valde ſimilem & perfectam; ita nimirum,

ut

ut imago intelligentem naturam, ſimilitudo autem gratiarum ac virtutum dona ſignificet. Ita ſentiunt Chryſoſtomus hom. 9. in Gen. Ambroſius lib. 6. in Hexam. c. 7. & 8. Hieronymus in c. 28. Ezech. aliique quibus ſententiarum Magiſter cum non paucis Scholæ Theologis adhæret in 2. d. 16.

Arbitrantur vero nonnulli, quod Moſes utroque imaginis, ac ſimilitudinis nomine eandem rem denotare voluerit; ita quod utrumque ſimul idcirco poſuerit, ut hominis dignitatem expreſſius deſignaret: quæ quidem opinio non omni prorſus probabilitate privatur. Similitudo enim pro imagine ſumitur Gen. c. 5. v. 3. ubi legitur, quod Adam *genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*. Item Apoſtolus imaginis vocabulum adhibet ad ſimilitudinem denotandam, quæ in juſtitia & ſanctitate conſiſtit; ſcribit enim in 1. ad Cor. c. 15. v. 49. *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*. Jacobus inſuper in epiſt. ſua c. 3. v. 9. ſimilitudinem pro imagine accepiſſe videtur, dum *de lingua* ſic loquitur: *In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt*. Lege Eſtium in 2. d. 16. §. 6. & 7.

Denique Moſes cum Gen. 1. v. 26. dixiſſet: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* verſu poſtea 27. non ſimilitudinis, ſed imaginis tantummodo vocabulum iteravit, inquiens: *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum:* ut nempe monſtraret, quod imago a ſimilitudine omnino non differat. Unde hac de re ſcribit Auguſtinus in quæſtione 4. ſuper

Deut. *Quibuſdam viſum eſt ſimilitudinem aliquid amplius eſſe, quam imaginem, quod homini reformando per Chriſti gratiam poſtea ſervaretur. Miror autem, ſi non propterea poſtea imaginem ſolam voluit commemorare, quia ubi imago, continuo & ſimilitudo eſt.* At ſatis ſuperque de divina imagine ac ſimilitudine, qua humana mens inſtruitur, tractatum eſt.



CA-

CAPUT XI.

Quod Adam omnium hominum primus extiterit.

ADamum totius humani generis primum fuiſſe parentem, unanimi omnes conſenſione credebant; dum Iſaac Peyrerius anno 1655. Calvini adhuc imbutus errore, librum edidit cui titulum fecit: *Præadamitæ*, ubi perperam demonſtrare conatus eſt, alios ante Adamum extitiſſe homines, ab eoque non omnes gentes, ſed Judæos tantum fuiſſe progenitos. Anno deinde 1657. Peyrerius Romam pergens ſub Alexandro VII. Calvini ſectam deſeruit, & Præadamitarum fabulam improbavit; ac poſtremo apud Pariſios vitam in catholica fide finivit. Ut igitur hujuſcemodi commentum penitus diſſipetur, validiuſque firmentur, quæ de primo homine Moſaica tradit hiſtoria; ſit

Propoſitio. Fide tenendum eſt, quod Adam primus omnium hominum ſator extiterit.

Probatur. Ex Gen. c. 1. luculenter apparet, quod in principio temporis Deus e nihilo cœlum terramque condiderit, & ſex dierum ſpatio, quæ in cœlo & quæ in terra ſunt, cuncta perfecerit, ac ſexta demum die hominem ad ſui ſimilitudinem imaginemque creaverit. Ergo ante hominem ſexta die productum homines alii non fuerunt: atqui homo ille primus eſt Adam: ergo Adam non Judæorum tantum, verum & Gentilium protoparens eſt dicendus.

Minor propoſitio patet ex eo, quod legitur Gen. c. 5. vv. 1. & 2. *Hic eſt liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum. Maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati ſunt*. Quæ profecto verba cum iis optime conſonant, quæ de primi hominis formatione leguntur Gen. c. 1. vv. 26. 27. & 28.

Non ergo recte Peyrerius affirmavit, alium eſſe hominem, cujus creatio in 1. Gen. capite recenſetur, ab eo cujus mentio in 2. capite nobis occurrit; & illum quidem Gentilium, hunc vero Judæorum primum fuiſſe parentem.

Facile enim ex dictis eruitur, quod Moſes quæ 1. in cap. breviter de Adami creatione narraverat, prolixius per anacephaleoſin in c.2. deſcripſerit; proindeque quemadmodum ex eo, quod Moſes ait in c. 2. vv. 4. & 5. *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram: & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret*; ſicut, inquam, ex hoc textu non ſequitur, aliud cœlum, aliamque terram, & alias ſtirpes, ac plantas in 2. cap. deſignari ab illis, quæ deſignantur in cap. 1. Ita dum legitur Gen. c. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* &c., non bene conſequitur, quod alterius hominis creatio in 2. ac in 1. capite referatur.

Præterea Gen. c. 2. v. 5. legitur: *Homo non erat qui operaretur terram*. Et v. 18. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Et v. 19. poſtquam Deus de

de humo cuncta animantia terræ, & univerſa volatilia cœli formavit; *adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea*. Denique Gen. c. 3. v. 20. *Vocavit Adam nomen uxoris ſuæ, Heva; eo quod mater eſſet cunctorum viventium*. At ſi tunc Præadamitæ fuiſſent, potuiſſent illi terram colere; brutiſque animantibus aliquod nomen imponere; neque Adam ſolus ſine adjutorio extitiſſet, neque Heva merito potuiſſet omnium hominum genitrix appellari.

Huc accedit, quod uti patet ex Gen. 5. Noe ex Adamo deſcendit; ex Gen: etiam c. 10. conſtat, a filiis Noe diviſas fuiſſe gentes poſt univerſale diluvium: commentitii itaque ſunt populi alii Adamo priores, & ab illo originem non trahentes.

Deinde Apoſtolus Act. c. 17. v. 26. de Deo ait: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*. Ex Adamo igitur non ſola Judæorum natio, ſed omnes homines originem derivarunt. Hinc in 1. ad Cor. c. 15. v. 45. ab eodem Paulo Adam abſolute & ſimpliciter primus homo vocatur: *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem*. Et v. 47. *Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis*. Sicut igitur omnes ex Chriſto ſpiritualem vitam accipiunt, ita ex Adamo omnes vitam hauriunt corporalem; quod ex Sapientiæ etiam c. 10. v. 1. non obſcure colligitur.

Tandem Rom. c. 5. v. 12. hæc habentur: *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Modo unus ille homo, per quem peccatum & mors in mundum irrepſit,

alius

alius ab Adamo non eſt; cum ibi v. 14. legatur: *Regnavit mors ab Adam &c.* Ergo ſi non ſoli Judæi, ſed omnes omnino homines peccato & morti naſcuntur obnoxii, omnes etiam ex Adamo gignuntur.

Alia hic ex Scripturis argumenta facile poſſent afferri; at quæ huc uſque protulimus, pro inſtituti ratione, ſufficiunt ad Præadamitarum fabulam exſufflandam, quam & ipſe Peyrerius tandem aliquando confeſſus eſt Patribus, & Conciliis, totique Chriſtianæ doctrinæ eſſe contrariam. Lege Graveſon tomo 8. Hiſt. Eccleſ. p. 1. Colloq. 3. Natalem Alex. tomo 1. Hiſt. Vet. Teſt. diſſer. 3. denique Serry, Gotti, Berti &c.

Objicies 1. Gen. 4. v. 2. dicitur: *Fuit autem Abel paſtor ovium, & Cain agricola.* Alii ergo tunc homines extiterunt, a quibus Abel pecudes cuſtodivit, & quorum auxilio Cain agriculturam exercuit. Cum ergo præter Adamum, & Hevam, & Cain, & Abel homines alios Scriptura non memoret; dicendum profecto erit, quod illi fuerint Adamo priores.

Reſp., quod Abel oves paſcere, & Cain terram colere potuerunt, uti uterque didicit ab Adamo; & uti in mundi primordiis poſt peccatum neceſſitas exigebat; ſine ſcilicet tot inſtrumentorum adminiculo, quot deinceps major hominum induſtria & numerus adinvenit: lege Gen. c. 4. vv. 20. 21. 22. Potuit inſuper Abel ovium exercere cuſtodiam, non ut eas a furibus tueretur, ſed ut in pinguia paſcua cogeret, & ex eis lac premeret, lanamque tonderet.

Denique potuerunt Abel & Cain, fratres, nepotes, filios adhibere, ut oves paſcerent, & tellurem excolerent: ex quo enim Scriptura

alios

alios tunc homines aperte non memoret, non bene conſequitur, quod alii non extarent. Hinc Auguſtinus in lib. 1. qq. ſuper Geneſim q. 1. ſimili de re ſic loquitur: *Quomodo Cain potuerit condere civitatem, cum civitas alicui utique conſtituatur hominum multitudini; illi autem duo parentes, & duo filii fuiſſe referantur, quorum filiorum ab altero alter occiſus eſt, in cujus occiſi locum alius natus eſſe narratur? An ideo quæſtio eſt, quoniam qui legunt, putant, ſolos tunc fuiſſe homines, quos divina Scriptura commemorat, nec advertunt, eos qui prius ſunt conditi duos, vel eos etiam quos genuerunt, tamdiu vixiſſe, ut multos gignerent? Non enim & Adam ipſe eos ſolos genuit, quorum nomina leguntur, cum de illo Scriptura loquens*, Gen. c. 5. v. 4. *ita concludat, quod genuerit filios & filias*. &c. Lege quæ diximus in hujuſce libri c. 1. argum. 1.

Objicies 2. Gen. 4. v. 7. dixit Dominus ad Cain: *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit?* Erant igitur tunc Judices Præadamitæ, qui jus in Cain dicere poterant, ſi peccaſſet.

Reſp., quod citatus verſus hunc ſenſum includat: Si bene egeris, benedictionem recipies ac mercedem, ſicut frater tuus recepit, ad cujus dona reſpexi. Quod ſi male fueris operatus, ſtatim in foribus aderit peccatum, ſive cito ſubibis peccati pœnam, quæ ex intimo conſcientiæ cruciatu, & ex Dei ira procedit: quod enim jam prope imminet, in foribus, in oſtiis, ante januam eſſe dicitur in Scripturis; uti patet ex Marci 13. v. 29. & ex epiſt. Jacobi c. 5. v. 9. Tandem habet Targum Hieroſolymitanum cui Arias, Pagninus, Malvenda, aliique con-

cor-

cordant: *Peccatum tuum ad cordis januam accubat*. Non igitur hic de forenſi judicio agitur, neque de foribus civitatis.

Dices. Laudato in c. 4. v. 14. Cain Domino ait: *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*. At a quo ſibi ille timebat? Profecto non ab Adamo & Heva parentibus ſuis; ergo a Præadamitis, qui propter fratris cædem Cainum poterant morte punire.

Reſpondet autem S. Ambroſius in lib. 2. de Cain & Abel c. 9., quod ille *potuit quidem & incurſus beſtiarum timere, qui legis divinæ jura violaverat, nec præſumere de ſubjectis animalibus ceteris; qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium poſſe committi. Potuerunt enim & parentes de filio diſcere, quod didicerunt. Poſteri de parente.*

Deinde quod plures homines ex Adamo propagati tunc eſſent, facile ex eo monſtratur, quod Abel circa Adami & Mundi annum 130. fuerit occiſus; paulo ſcilicet ante quam Deus pro defuncto Abele Sethum Adamo poſuerit; uti ex Gen. c. 4. v. 25. colligitur: modo probabile valde eſt, quod ad magnum numerum tam longo annorum ſpatio humanum genus increverit.

Ex eodem etiam Gen. c. 4. opponebat Præadamitici ſyſtematis Auctor, quod v. 17. dicitur: *Cognovit autem Cain uxorem ſuam*. Atqui uxor illa ex filiabus Adæ eſſe non potuit, cum fratrem inter & ſororem nefas ſit inire connubia: fuit ergo mulier Præadamita.

Verum in Mundi exordio licuit fratri cum ſorore celebrare conjugium, quia humanum genus propagari alia ratione non poterat. Et

Ideo

ideo ſcribit Auguſtinus in lib. 15. de C. D. c. 16. *Cum genus humanum poſt primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium feminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur; nec eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus nati fuiſſent, viri ſorores ſuas conjuges acceperunt: quod profecto quanto eſt antiquius compellente neceſſitate, tanto poſtea factum eſt damnabilius Religione prohibente*.

Objices 3. Rom. c. 5. vv. 13. & 14. ait Apoſtolus: *Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri*. Ex quibus ita Peyrerius argutabatur: Peccatum erat quidem ante legem, ſed non fuit tunc temporis imputatum: atqui ante Moſaicam legem peccatum imputatum fuiſſe certiſſimum eſt; cum pro eo pœnas luerint Adam, Heva, Cain, Lamech, homines ſubmerſi diluvio, Sodomitæ, aliique quamplurimi: ergo nomine legis ibi Paulus non Moſis legem intelligit, ſed legem Adamo latam, ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederet: ergo peccatum in mundo fuit, fueruntque etiam peccatores, antequam Deus Adæ primam legem paulo poſt creationem ejus imponeret. Deinde ſi mors in eos quoque graſſata eſt, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ; ergo alii fuerunt homines morti quidem obnoxii, ſed ex Adamo non geniti.

Reſp. quod citati teſtimonii ſenſus is eſſe videtur: Non ſolum tempore Moſaicæ legis, quando eſt manifeſtata tranſgreſſio, ſed a mun-

di

di initio peccatum extitit; quod licet ab hominibus, & pœna per ſcriptam legem inflicta non fuerit imputatum; imputatum tamen a Deo fuit, uti tranſgreſſio legis naturalis, & idcirco morte punitum in illis etiam, qui propriæ voluntatis arbitrio non peccarunt, ſicuti peccavit Adam præceptum ſibi a Deo impoſitum infringendo.

Nihil igitur ex citato textu pro Præadamitarum exiſtentia ſequitur; nam per nomen legis paſſim in Scriptura lex Moſis exprimitur, non præceptum Adæ datum de fructu vetito non guſtando; quo in ſenſu dicit Paulus v.20. objecti capitis: *Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum*. Peccatum vero ante Moſaicam legem dicitur non fuiſſe imputatum, ideſt non plene cognitum, non plene redargutum; ſtatuta ſcilicet & manifeſta pœna, maxime per homines infligenda: *Per legem enim cognitio peccati:* Rom. 3. v. 20. *Lex enim iram operatur. Ubi enim non eſt lex; nec prævaricatio:* Rom, 4. v. 15. Quæ autem in argumento aſſeruntur exempla, dumtaxat evincunt, peccata quædam quæ naturæ lege vetantur, uti ſunt homicidium, adulterium &c., a Deo etiam ante Moſaicam legem fuiſſe punita.

Quia denique Moſaica lex potuit quidem peccatum oſtendere, & arguere; delere vero non potuit, niſi gratia per Chriſtum accederet: idcirco dicit Apoſtolus, uſque ad legem, ideſt Moſaicæ etiam legis tempore, regnaſſe mortem in omnes, licet aliqui originaria tantum culpa eſſent infecti: per quod evidenter oſtenditur, per unum hominem peccatum in hunc mundum intraſſe, & per peccatum mortem; ſive ex originali peccato cauſam eſſe petendam,

cur

cur homo mortalis evaſerit. Lege S. Auguſtinum in epiſt. 157. ad Hilarium, & in lib. 6. contra Julianum c. 4.

Notamus hic inſuper, quod nobis negotium non faceſſant monumenta Ægyptiorum, Chaldæorum, Sinenſium, aliarumque gentium, quæ multa annorum millia ſupra Adami ætatem enumerant; fabuloſa enim ea eſſe monſtravimus, dum objectionem ſecundam cap. 1. hujuſce libri diluimus.

Quod ſi poſtremo quis dixerit, Americam ante ſeculum xv. non fuiſſe detectam; adeoque Adæ poſteri dicendi non ſunt populi, qui novum Orbem inhabitant: Reponemus, quod Adæ filii ventorum vi in Americam deferri potuerint; quin poſtea redire tentarent vel terræ ubertate pellecti, vel ventorum contrarietate deterriti; aut ſi forte aliqui reditum experti ſunt, naufragio perierunt: proindeque ſic contigit, ut Regio Americana lateret uſque dum anno 1492. Chriſtophorus Columbus invicta animi fortitudine illuc appelleret.

CA-

CAPUT XII.

Num Deus alia, & meliora creare poſſit his quæ reipſa creavit?

JAm ad finem vergit noſtra de ſex dierum operibus diſputatio, illudque poſtremo nunc loco ſupereſt expendendum, an Deus alia ac perfectiora iis quæ reipſa ſunt, poſſit efficere? Nonnulli de quibus loquitur Doctor Angelicus in p. 1. q. 25. a. 5., putarunt Deum agere ex neceſſitate naturæ; ita nimirum ut ſicuti ex actione naturalium cauſarum alia provenire non poſſunt, niſi quæ reapſe contingunt, utputa ex ſemine hominis homo, ex ſemine olivæ oliva &c.: ita ex operatione divina non poſſint aliæ res, vel alius ordo rerum effluere, niſi ſicut nunc eſſe videmus. Hoc in errore verſati ſunt Abaelardus, & Wiclefus.

Arbitrati ſunt alii, quod Dei potentia ad præſentem rerum curſum neceſſario ſit determinata ex ſuimet juſtitia ac ſapientia, quæ res alias vel alio ordine evenire non ſinunt, quam prout nunc inſtitutum eſſe cognoſcimus. Hic error a quibuſdam Calvino tribuitur.

Propoſitio. Poteſt Deus alia & meliora facere his quæ reipſa nunc facit.

Probatur 1. ex Scripturis quæ id paſſim affirmant, ac præcipue ex Sap. c. 11. v. 18. & ſequen. ubi legitur, quod Deus multis quidem aliiſque modis Ægyptios punire potuerit, & tamen pro ſua libertate non fecit: *Non enim*

im-

impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa, immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas beſtias &c. Hiſce ſimilia habentur etiam in ejuſdem libri c. 12.

Item in 2. Machab. c. 8. v. 18. Judas ait: *Nos autem in omnipotente Domino, qui poteſt & venientes adverſum nos, & univerſum mundum uno nutu delere, confidimus.* At nunquam Deus mundum uno nutu delebit, licet hoc fieri ab illo poſſe credamus.

Chriſtus denique Matth. c. 26. v. 53. ita Petrum alloquitur: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Quod tamen reipſa non præſtitit.

Probatur 2. Sancti etiam Eccleſiæ Patres veritatem iſtam aperte ac firmiter docuerunt, uti patet ex Nazianzeno oratione 4. de Theologia, Ambroſio in c. 3. Lucæ, ex Chryſoſtomo & Hieronymo in c. 3. Matthæi, ex Cyrillo lib. 8. contra Julianum &c. Inter alios autem S. Auguſtinus manifeſte pluribus in locis id aſſerit, & præſertim in lib. de ſpir. & lit. c. 1. nonnulla adducit exempla, quibus oſtenditur, quod Deus alia facere valeat præter ea quæ facit, ac deinde concludit: *Alia ſexcenta poſſunt occurrere, quæ fieri potuiſſe, vel poſſe fatemur, & eorum tamen exempla, quod facta ſint, proferre nequeamus.*

Probatur 3. ex ratione. Ut in lib. 2. c. 5. monſtravimus, Deus omnipotens eſt: atqui dicendus ille non eſſet omnipotens, ſi alia plura & meliora his, quæ creavit, creare non poſſet. Poſtulat enim ratio infinitæ potentiæ, ut quid-

quid ex ſeſe repugnantiam non includit, ab illo produci valeat, cujus eſſentia, ſapientia, virtus a nulla re vel actuali vel poſſibili limitatur. Hinc ad Epheſios c. 3. v. 20. de Deo ſcribit Apoſtolus, quod potens ſit *omnia facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus*. Poteſt ergo Deus alia facere, & quidem meliora iis quæ exiſtunt, quæque uti poſſibilia mente concipimus.

Falſum præterea eſt, quod Deus ad extra ex neceſſitate ſuæ vel naturæ, vel ſapientiæ operetur: oſtenſum eſt enim in lib. 5, c. 1., quod ſumma arbitrii libertate fruatur, ac nihil exterius niſi ex indifferenti voluntate producat, Notat inſuper S. Thomas in p. 1. q. 25, a, 5, quod ordo quem divina ſapientia & juſtitia rebus indidit, „ non adæquat divinam ſapien„ tiam, ut ſic divina ſapientia limitetur ad „ hunc ordinem. Manifeſtum eſt autem quod „ tota ratio ordinis quem ſapiens rebus a ſe „ factis imponit, a fine ſumitur. Quando „ igitur finis eſt proportionatus rebus propter „ finem factis, ſapientia facientis limitatur ad „ aliquem determinatum ordinem; ſed divina „ bonitas eſt finis improportionabiliter exce„ dens res creatas: unde divina ſapientia non „ determinatur ad aliquem ordinem rerum, „ ut non poſſit alius curſus rerum efflue„ re. “ Si ergo Deus neque ex ſui natura, neque ex juſtitia & ſapientia ad operandum adigitur; dicendum profecto erit, quod quia omnipotens eſt, alia valeat & meliora producere his quæ reipſa producit.

Objicies 1. Deus ea tantum facere poteſt, quæ fieri convenit & juſtum eſt: atqui juſtum eſt & convenit ea fieri quæ reipſa facit: ergo alia fieri non convenit neque juſtum eſt; adeo-

que

que Deus ea facere omnino non poteſt.

Tum Deus ea tantum poteſt efficere quæ voluit & præſcivit; alioquin ſine providentia, ac ratione produceret: ergo ſi ea tantum quæ facit, fieri præſcivit & voluit, nequeunt alia ab illo produci.

Reſp. ad 1. diſtin. ma., ita ut tota juſtitiæ ac convenientiæ ratio ex divina voluntate proveniat, concedo; ita ut illa ex intrinſeca creaturarum natura deſcendat, nego ma. & diſt. minorem, juſtum eſt & convenit ea fieri quæ facit, & tamen juſtum quoque fuiſſet fieri alia, ſi id Deus pro ſuo decreviſſet arbitrio, concedo; ſecus, nego minorem & ultimam conſequentiam. Itaque uti ſcribit S. Thomas in p. 1. q. 25. a. 5. ad 1. " in nobis, in quibus po„ tentia & eſſentia aliud eſt a voluntate & in„ tellectu, & iterum intellectus aliud a ſapien„ tia, & voluntas aliud a juſtitia, poteſt eſſe „ aliquid in potentia, quod non poteſt eſſe in „ voluntate juſta, vel in intellectu ſapiente. „ Sed in Deo eſt idem potentia, & eſſentia, „ & voluntas, & intellectus, & ſapientia, & „ juſtitia: unde nihil poteſt eſſe in potentia di„ vina, quod non poſſit eſſe in voluntate ju„ ſta ipſius, & in intellectu ſapiente ejus. Ta„ men quia voluntas non determinatur ex ne„ ceſſitate ad hæc vel illa, niſi forte ex ſuppo„ ſitione; neque ſapientia Dei & juſtitia deter„ minatur ad hunc ordinem, ut ſupra dictum „ eſt; nihil prohibet eſſe aliquid in potentia „ divina, quod non vult, & quod non conti„ netur ſub ordine quem ſtatuit rebus.

Ad alterum diſtin. antecedens, ſi de potentia abſoluta loquamur, concedo; ſi de potentia ordinaria, nego antec. Ut enim laudato in

loco Angelicus Doctor adjungit: „ Quod attri-
„ buitur potentiæ ſecundum ſe conſideratæ, di-
„ citur Deus poſſe ſecundum potentiam abſo-
„ lutam: & hujuſmodi eſt omne illud, in quo
„ poteſt ſalvari ratio entis. Quod autem attribui-
„ tur potentiæ divinæ ſecundum quod exequi-
„ tur imperium voluntatis juſtæ, hoc dici-
„ tur Deus poſſe facere de potentia ordinata.
„ Secundum hoc ergo dicendum eſt, quod Deus
„ poteſt alia facere de potentia abſoluta, quam
„ quæ præſcivit & præordinavit ſe facturum;
„ quia ipſum *facere* ſubjacet præſcientiæ & præ-
„ ordinationi, non autem ipſum *poſſe* quod eſt
„ naturale: ideo enim Deus aliquid facit, quia
„ vult; non tamen ideo poteſt quia vult, ſed
„ quia talis eſt in ſui natura.

Ex quibus apparet, quod licet reipſa aliæ res exiſtere nequeant, niſi quas Deus ab æterno prævidit ac voluit in tempore exituras; quia tamen aliter ille velle poterat & præſcire, idcirco in ſenſu dumtaxat compoſitio, ut ajunt, divinæ præordinationis accidit, quod aliæ res in temporum nunc decurſu non extent.

At dices. Si Deus abſolute & ſimpliciter alia creare valeret præter ea quæ creat; ergo cum nunquam ille ejuſcemodi potentiam ſit perducturus ad actum, jam aliquid in ſeipſo fruſtraneum, & inane, & otioſum habebit.

Reſp. id dumtaxat dici poſſe fruſtraneum, quod a fine, in quem neceſſario tendere debet, defectu vel virium vel voluntatis aberrat. Id etiam vere ac proprie dicitur otioſum, quod actus ſui perfectione privatur. At Deus ipſe ſibi eſt finis & incomprehenſa perfectio, quæ adventitia, & externa, & contingenti bonita-

te

te non indiget; proindeque quemadmodum ſi nihil decreviſſet efficere, non fuiſſet ob id fruſtranea ejus & otioſa potentia; ita & in præſenti rerum ordinatione ſimiliter eſt dicendum. Denique uti Scotiſtæ non male ſentiunt, Dei potentia ab ipſius voluntate neque formaliter eſt diſtincta; adeoque ſicuti maxima divinæ voluntatis activitas in eo relucet, quod ſemper in actu ſecundo erga infinitam Dei bonitatem ſummo amore feratur, ita & de potentia idem affirmandum eſt; ſi ſcilicet non purum nomen, ſed internum ejus conceptum conſiderare velimus.

Inſtabis. Divina mens neceſſario quæ ſunt vera cognoſcit; ergo divina voluntas neceſſario quæ ſunt bona producit; alia igitur producere nequit ab iis, quæ nunc videmus exiſtere.

Reſp., quod ſcientia perfectionem dicit non in objecto quod noſcitur, ſed in facultate quæ noſcit; quapropter ſi Deus omne quod verum eſt, non cognoſceret, aliqua perfectione careret; adeoque neceſſario novit omne ens, omne verum, omne poſſibile. Productio vero ad exiſtentiam, & perfectionem rei productæ refertur; proindeque ſi Deus nollet creaturas efficere, non ipſe, ſed iſtæ perfectione, & exiſtentia privarentur; & ideo libere vult, & libere operatur.

Deinde veritas creaturæ eſt ejus interna perfectio, ex ipſa entis ratione dimanans; & ideo ſicuti creatura quælibet eſt neceſſario ens, ita eſt neceſſario etiam intelligibilis, & vera; veritate videlicet quam Scholæ *tranſcendentalem* appellant, & ſolam rei poſſibilitatem includit; nam ſi de veritate *prædicamentali*, ſive de cognoſcibilitate exiſtentiæ rerum loqui volueris,

illa profecto libera divinæ voluntatis decreta ſupponit. Patet igitur, cur poſſibilium veritas a divina mente neceſſario cognoſcatur. At bonitas creaturæ, quæ ad exiſtentiam ordinatur, non eſt ei connaturalis & intrinſeca, ſed extrinſecus adveniens & contingens, & a prima rerum cauſa, a libera ſcilicet Dei voluntate dependet: nihil ergo mirum ſi Deus libere producat quæcunque voluerit, poſſitque alia plurima pro ſui libera & infinita virtute producere.

Objicies 2. Auguſtinus in lib. 3. de lib. arb. c. 5. ait: *Quidquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium conditorem*. Item Damaſcenus in lib. 2. de orthodoxa fide c. 29. ſcribit: *Neceſſe eſt omnia quæ Dei providentia fiunt, ſecundum rectam rationem, & optima & Deo decentiſſima fieri, & ita ut nequeant meliora fieri*. Non ergo poteſt Deus meliora producere.

Reſp. ad 1. ex S. Bonaventura in 1. d. 44. a. 1. q. 1. quod „ vult Auguſtinus dicere in „ præmiſſa auctoritate de lib. arbr. quod nulla „ eſſentia nobilior poteſt cogitari eſſe in hoc „ mundo rationabiliter, quæ non ſit ibi. Nam „ ſi cogites meliores eſſe partes, hoc eſt, aut „ ſecundum totum, aut ſecundum partem. Si „ ſecundum totum: jam non iſtum mundum „ cogitas, ſed alium. Si ſecundum partem, tunc „ ergo tollis ordinem, & perfectionem de hoc „ mundo: ut ſi cogites, quod Deus feciſſet Lunam ita lucidam ut eſt Sol, vel terram ſicut „ Cœlum, non rationabiliter cogitas, quia perimis Univerſum: non enim eſſent omnia, ſi „ eſſent æqualia: & hoc eſt quod dicit Augu-

„ ſti-

„ ſtinus de lib. arbr. *poſt objecta verba:* Non
„ eſt vera ratio, ſed invidiæ infirmitas, cum
„ aliquid melius faciendum fuiſſe cogitave-
„ ris, jam nihil aliud inferius fieri velle;
„ tanquam ſi perſpecto Cœlo, nolles terram
„ factam eſſe, utique omnino inique cogita-
„ res.

Ad alterum. Damaſcenus non loquitur de bonitate rei, ſed de modo faciendi, qui Deo tribuitur; affirmatque dumtaxat, quod nequeat Deus majori ſapientia ac ratione aliquid operari; cujuslibet enim generis opera ab una eademque divinæ ſapientiæ operatione procedunt, & in finem congruum ordinantur. Quapropter Angelicus Doctor advertit in p. 1. q. 25. a. 6. ad 1. quod dum dicitur, *Deum poſſe aliquid facere melius quam facit;* ſi illud *melius* „ im-
„ portet modum ex parte facientis; ſic Deus
„ non poteſt facere melius quam ſicut facit,
„ quia non poteſt facere ex majori ſapientia &
„ bonitate. Si autem importet modum ex par-
„ te facti, ſic poteſt facere melius; quia poteſt
„ dare rebus a ſe factis meliorem modum ef-
„ ſendi quantum ad accidentalia, licet non
„ quantum ad eſſentialia.

Inſtabis. Inquit Auguſtinus in lib. 83. qq. q. 50. *Deus quem genuit, quoniam meliorem ſe generare non potuit, nihil enim Deo melius, generare debuit æqualem: ſi enim voluit, & non potuit, infirmus eſt: ſi potuit, & non voluit, invidus eſt. Ex quo conficitur æqualem genuiſſe Filium.* Simili itaque modo argumentari nunc poſſumus: Si Deus voluit, & non potuit efficere meliora, infirmus eſt: ſi potuit & non voluit, invidus eſt: atqui Deus neque infirmus, neque invidus eſſe poteſt: ergo nedum *ex parte*

te facientis, verum & *ex parte facti* melius ille omnia procreavit.

Reſp. quod meliora quidem Deus producere potuit juxta modum ſuperius explicatum, & tamen noluit pro ſua libertate producere, quin invidus ſit ille dicendus. Recte namque notat Seraphicus Doctor in 1. d. 44. dub. 1. „ quod „ ad invidiam iſta duo concurrunt; poſſibilitas „ ſcilicet ad æqualitatem, & exigentia rei facta: non enim invidet aliquis alicui, niſi „ quia parificatur ei aliquis, vel excedit; vel „ quia timet, ne parificetur. Item Artifex non „ dicitur invidus, niſi quando non facit rem „ ſecundum quod exigit, & ipſe poteſt: & „ propter hoc, quia ex parte rerum non erat „ exigentia, & quia in nullo poterant parificari; ideo qualeſcunque faceret, non convincitur in Deo eſſe invidia, etiamſi nullas res „ faceret. Sed in Filio Dei erat potentia ad „ æqualitatem, & ulterius exigentia, propter „ hoc quod erat de ſubſtantia Patris.

Quod ſi ſubjunxeris: Auguſtinus in lib. 4. de Gen. ad lit. c. 16. de Deo ſic ait:, *Sed bona facere ſi non poſſet, nulla eſſet potentia; Si autem poſſet nec faceret, magna eſſet invidentia*. Ex quo evidenter apparet, quod S. Doctor eodem modo de Dei Filio, ac de creatura loquatur; & quod pari ratione ſit conſequens, Deum invidiæ redarguendum fore, ſi non meliora creaverit.

Plato quoque in Timæo hæc habet: *Porro quia optimus eſt, ab optimo vero omnis invidia relegata erat; & ideo dedit unicuique creaturæ tantum de bonitate, quantum potuit capere*.

Reponemus ex Seraphico Doct. laudata in diſt. a. 1. q. 2. „ Ad illud quod objicitur de „ Pla-

„ Platone dicendum, quod non habet veritatem, „ niſi intelligatur ſalvo ordine Univerſi ; & hoc „ quantum ad bonitatem eſſentialem , conſide- „ rata diſpoſitione in materia . Nec ratio ſua „ eſt neceſſaria , ſed ſolum perſuaſio in ſimili; „ ſicut in homine, qui poteſt alii bene facere, „ & non facit ; quod ex hoc judicatur invidia, „ & frequenter dimittit propter invidiam ; at „ qui caret invidia, e converſo facit : & ſic in- „ telligitur verbum Auguſtini .

Si itaque effatum illud objeceris : *Optimi eſt optima adducere* ; reſpondebimus, quod quæ exiſtunt , non ita optima ſunt , ut nequeat Deus nobiliores alias eſſentias , & perfectiora accidentia alia procreare . Sunt tamen optima , ſi ſingulorum ſpectentur eſſentiæ , quibus addi nihil poteſt, niſi intrinſecus ipſa rerum natura mutetur . Optima etiam ſunt reſpectu habito ad divinam providentiam , per quam facta ſunt ; nihil enim poteſt cum majori ſapientia & bonitate produci . Sunt tandem optima relate ad præſentem ordinem , & præintentum a Deo finem , ad quem admirabili ratione conducunt . Ut enim egregie ſcribit S. Bonaventura in laudato loco q. 3. „ quamvis aliquid non ſit optimum in ſe , tamen optime ordinatur . Et „ exemplum hujus patet in partibus corporis , „ & in re artificiali , in qua eſt conſonantia , „ & harmonia , ſicut in cithara . Quamvis enim „ nobilior ſit ſitus oculi , quam pedis ; tamen „ ſi conſideremus utrumque ſecundum ſuum of- „ ficium , tam oculus, quam pes optime ſituati „ ſunt in toto , ita quod nec oculus melius pe- „ de , nec e converſo . Et ita dicit Auguſtinus „ ſuper Joannem , *tract.* 1. *n.* 13. quod ſicut „ Angelus optime in cœlo , ita vermiculus „ opti-

„ optime in imo, ſive in terra. Et ſimiliter „ apparet in cithara; poſſunt enim omnes chor„ dæ ita proportionari, quod ſi aliqua tenda„ tur, ut detur ei melior ſonus, nunquam re„ manebit conſonantia; ſimiliter dictiones poſ„ ſunt ordinari ad faciendum verſum, ita quod „ ex illis dictionibus impoſſibile eſt fieri ver„ ſum melius ordinatum: ſic in propoſito in„ telligendum. " Lege etiam S. Thomam in p. 1. q. 25. a. 6. ad 3.

Objicies 3. Sapientia Artificis ex opere demonſtratur; hinc hominis ingenium & ſcientia ex artefactis oſtenditur: ergo infinita Dei virtus & ſapientia, perfectiſſima quæque & optima procreavit.

Reſp. infinitam Dei ſapientiam ac potentiam evidenter oſtendi ex modo quo ille producit; nempe uti S. Bonaventura ait in 1. d. 43. a. unico q. 3. *per creationem de nihilo, ubi eſt diſtantia infinita per omnimodam improportionem.* Unde Fulgentius etiam in lib. de fide ad Petrum c. 3. ſcribit: *In eo enim ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam viſibilem, ideſt corporalem, atque ſpiritualem de nihilo fecit.* Lege noſtri hujuſce operis lib. 2. c. 5.

Manifeſtatur etiam ſumma Dei potentia *ex effectuum generalitate*, uti laudato in loco ait Seraph. Doctor; cum enim creaturæ ſimul omnes finitæ ſint, ex earum productione Dei virtus exhauriri non poteſt; & ideo *tot fecit, & adhuc poteſt in plura.* Tandem ſumma Dei ſapientia, potentia, bonitas in ipſa ordinis diſpoſitione relucet, uti paulo antea dicebamus.

Homo autem cum tantum ex accidente ſit bonus, & ex acquiſita bonitate operetur, ac per actiones ſuas in bonitate proficiat; idcirco

quo

quo melior eſt, eo efficit meliora; & quò meliora præſtat, eo etiam melior evadit. At Deus ipſa bonitas eſt, quæ ab operibus ſuis nulla prorſus ratione dependet; unde poterat pro ſua libertate nihil omnino producere. Deinde in quolibet etiam ignobili minimoque effectu quam ex nihilo creat, infinitam perfectionem ſuam Deus oſtendit; ut ſuperius dictum eſt. Ut enim ait Auguſtinus in lib. 11. de C. D. c. 22. *Deus ita eſt artifex magnus in magnis, ut minor non ſit in parvis, quæ parva non ſua granditate, nam pene nulla eſt, ſed artificis ſapientia metienda ſunt.*

Dices. Si Deus alia & meliora facere potuit, cur ergo non fecit?

At jam reſponſio patet ex dictis, quod Deus circa creaturas libere operatur. Unde notat S. Bonaventura in 1. d. 44. a. 1. q. 1. quod *talis quæſtio eſt irrationalis, & ſolutio non poteſt dari, niſi hæc, quia voluit, & rationem ipſe novit. Attamen ſi non fecit, nemo poteſt arguere; quia hoc totum quod fecit, fuit gratia, nec erat aliqua exigentia, ratione cujus poſſit poni in eo fuiſſe invidiam.*

Dices denique. Chriſtus ut homo, eſt plenus gratia & veritate, & non habet Spiritum ad menſuram: Beatitudo etiam creata dicitur eſſe ſummum bonum: Virgo Maria ſuper omnes choros Angelorum eſt exaltata. Nihil ergo melius eſſe poteſt Chriſto, & beatitudine, & Virgine Maria. Si ergo non omnia, ſunt ſaltem aliqua, quibus meliora Deus operari non poteſt.

Reſpondet Doctor Angel. in p. 1. q. 25. a. 6. ad 4. „ quod humanitas Chriſti ex hoc quod „ eſt unita Deo, & beatitudo creata ex hoc „ quod eſt fruitio Dei, & Beata Virgo ex hoc

„ quod eſt Mater Dei, habent quandam di-
„ gnitatem infinitam ex Bono infinito quod
„ eſt Deus. Et ex hac parte non poteſt ali-
„ quid fieri melius eis; ſicut non poteſt ali-
„ quid melius eſſe Deo.

Legendus eſt etiam Seraph. Doctor in ſuperius citatæ diſtinctionis dubio 3. ubi prolixius clariuſque argumentum iſtud explanat, aitque, „ quod
„ tripliciter eſt loqui de Chriſto, aut quantum
„ ad unionem, aut quantum ad gratiam ſingula-
„ ris perſonæ, aut quantum ad proprietates na-
„ turæ. Si quantum ad unionem, nec Deus po-
„ teſt plus dare, nec creatura recipere, quia
„ unionis gratia ex parte alterius extremi eſt
„ dignitatis infinitæ, ſcilicet quod homo ſit
„ Deus, quamvis ex parte humanitatis quid-
„ quid eſt ibi, ſit finitum; & ita non ponitur
„ limitatio ex parte Dei, nec ex parte crea-
„ turæ capacitas infinita, niſi per unionem;
„ videlicet quia unitur homo Bono infinito,
„ ita quod homo eſt Deus, qui eſt bonitatis
„ infinitæ. Si autem loquamur quantum ad
„ gratiam ſingularis perſonæ, ſic concedendum
„ quod Deus potuit plus dare, ſed rationalis
„ creatura non potuit amplius recipere, non
„ quia capacitas animæ a gratia per collatio-
„ nem gratiæ minuatur, quia nec minuitur,
„ nec augetur, ſed conſummatur & comple-
„ tur, & ideo non eſt poſſibilis ad amplius.
„ Si autem loquamur quantum ad proprieta-
„ tes naturæ, ſic Deus plus potuit de bonita-
„ te dare, & rationalis creatura recipere, quan-
„ tum ad ea ſcilicet, quæ ſunt corporis; quia
„ nunc plura habet, quam quando factus eſt,
„ ſed non potuerunt fini & ſaluti noſtræ effi-
„ ci congruentiores: nunquam enim ſalus no-

„ ſtra

„ ſtra potuiſſet per ſubſtantiam incorruptibi-
„ lem & immortalem ita reparari, ſicut per
„ mortem & paſſionem ejus reparata eſt. Pa-
„ tet ergo quomodo melior potuit eſſe Chri-
„ ſtus, & quomodo non.

De Beatiſſima vero Virgine ſubdit ibidem S. Doctor, quod de ea loqui poſſimus „ quan-
„ tum ad tres conditiones, ſcilicet quantum
„ ad gratiam conceptionis, quantum ad gra-
„ tiam juſtificationis, quantum ad naturam
„ corporis. Si quantum ad conceptionem pro-
„ lis; ſic quia fuit Mater Dei, quo nihil
„ nobilius cogitari poteſt, & Mater nobiliſſi-
„ mi Filii, ſic tantam habuit bonitatis digni-
„ tatem, quod nulla mulier amplius capere
„ potuit. Si enim omnes creaturæ quantum-
„ cunque aſcenderent in gradibus nobilitatis,
„ eſſent præſentes, omnes deberent reverentiam
„ Matri Dei. Si autem loquamur quantum ad
„ gratiam juſtificationis, tantam habuit, quan-
„ tam pura creatura humana, ſive rationalis
„ quæ facta eſt ſic, recipere potuit. Si quan-
„ tum ad corpus; naturalia optima habuit,
„ ſecundum quod fini competens fuit; ſimpli-
„ citer tamen meliora potuit recipere, & Deus
„ dare.

Docet etiam S. Bonaventura in 4. d. 49. p. 1. a. unico q. 6., quod licet beatitudinis objectum magis minuſque non habeat, inæqualis tamen eſt ipſa beatitudo *formaliter* accepta, prout nempe eſt creatæ mentis affectio. Ex quo & illud apparet, quod cum lumen gloriæ, & expreſſa viſionis ſpecies accidentariæ ſint perfectiones, ſemper poſſint magis minuſque recipere. Denique ſemper poteſt Deus perfectiores alias naturas intelligentia præditas procrea-

creare; atque ita in illis ſaltem poteſt Dei viſio & beatitudo eſſe perfectior. Quæ ſane omnia ex dictis plus quam ſatis manifeſta redduntur.

FINIS.

MA 2006029